

# EXILES
# ADOLESCENTIÆ
# NUGÆ,




*SEU*

## EPIGRAMMATON
## PARS ALTERA.

*Illuſtriſs., & Excellentiſs. Domino*

EMANUELI FERNANDEZ
PACECCHO, Y GYRON

Villenæ Marchioni, Eſcalonæ Duci,
S. Stephani Comiti,

PROREGI NEAPOLITANO, &c.


*DICATA*

AUTHORE CÆSARE FANELLI
EX FLORENO.

In Romana Peregrinorum Academia
Pauſilypi Apollodoro.



NEAPOLI, Typis Caroli Troyſe. MDCCIV.
*Superiorum permiſſu.*



Ad Illustriss., & Excellentiss. Dñum

# EMANUELEM FERNANDEZ PACECCHO, Y GYRON

## Villenæ Marchionem, Escalonæ Ducem, S. Stephani Comitem, Neapolitani Regni Proregem, &c.

*Cui Author Opus donat, dicat, dedicat.*

EPIGRAMMA. I.

O Decus Heroum, Augusto dè sanguine Avorũ
Natus Eques, Regis Gloria, & Vrbis Amor,
Hosce Tibi versus uni dico, dedico, sacro,
EMANVEL, placido corde, animoque legas;
Magnus Alexander gaudebat carmine Homeri,
Quantumvis Regni pondere lassus erat.
Augustus Cæsar dilexit metra Maronis,
Romanis populis dum sacra Jura dabat;
Mæcenas Musas generosus amavit Horatj,
Jure licèt populos flecteret ille suos.
Sic Regni Curis, variisque laboribus actus
Inspice luminibus carmina nostra tuis;
Sæpe leges lepidosque Sales, dulcesque Lepores,
Tædia qui minuant, Tristitiamque levent,
Sæpe leges laudesque tuas, & Regis Iberi,
Cujus habes Voces, Jura, vicesque geris:
Ore addes lumen carthis, lucemque Pöësi,
Et mihi contra Hostes Fulmen, & Ægis eris.

# DOMINUS EMANUEL:

ANAGRAMMA. 1.

# DONEMUS, MUNI, ALE.

SEU

# DO NEMUS; MUNI, ALE.


EPIGRAMMA. 2.

AMbiguus Votis, Princeps digniſſime, & anceps,
Cui mea ſacrarem carmina, ſæpe fui !
Funditùs inſpexi ſed poſtquam nobile nomen,
DONEMVS reperi in nomine, MVNI, & ALE;
Hinc Tibi, non alii DONO mea metra Dynaſtæ,
Et quæ jam ſpectas, munera parva tuli:
DO NEMVS Aonidũ, totumq; in carmine Pindũ,
MVNIMEN muſis, atque ALIMENTA foras.
A Momis ſecurus erit jucundus Apollo.
Sentiet ulteriùs neve Thalia Famem:
Accipe quidquid habet lepidus, tenuiſq; Libellus;
COR præbet munus, quod Tibi fecit AMOR.

AD EVNDEM

EPIGRAMMA. 3.

Bella famem ſpõdent; Te Principe, nemo timebit;
Nam MVNIS populos, & generoſus ALIS.



DOMINUS EMANUEL FERNANDEZ
PROREX NEAPOLITANUS.

ANAGRAMMA. 3.

EN NEX, EN MARS, EN FUR EXULAT
A POPULIS; INDE MORANDO.

EPIGRAMMA. 4.

NEſtoreos annos videas, & ſæcula vivas;
Serò Tibi Vitæ ſtamina Parca ſecet.

Sic Urbs, ſic Populus, ſic Plebs, ſic nobilis Ordo;
Sic ſuperos ſupplex Curia tota rogat:

Cæſaris auguſtos animos in pectore claudis;
Teque pios Mores remur habere Numæ.

EN NEX,EN MARS,ſunt hęc omina Nominis,EN (FUR
EXVLAT A POPVLIS,INDE MORANDO pro- (cul.

Et Furta,& Cædes, & Martis ubique tumultus
Anteà erant;nunc, Te Principe, cuncta ſilent.

Quique ſuo vivit; vagina clauditur Enſis,
Et Pax, & dulcis regnat in Vrbe Quies:

Tunc equidem Princeps laudes ſibi poſtulat ęquas,
Inſames Populos cùm facit eſſe Pios.

AD EVNDEM.

EPIGRAMMA. 5.

Regnat Amor, ſævitq;Themis,Te Principe:num- (quam
Sanctior,hos populos qui regat, Alter erit.

AD

## AD EVNDEM

### EPIGRAMMA. 6.

Trajano excelsam posuit Sacra RomaColumnam,
In qua, quæ fecit, gesta tuendo vides.
Imperii fines, evictis Hostibus, auxit;
Perque Orbem memori laude triumphus abit.
Armenos Victor domuit, Parthosque rebelles,
Atque alia imposito regna premente jugo:
Majorem Molem ponit Tibi nostra Pöesis;
Gesta, Animum, Mores exprimit illa Tuos:
Majestas frontis, Prudentia, cordis Honestas,
Consilium, Pietas fulget, ibique Fides:
Ne spernas igitur quidquid cum Corde dicamus;
Offerimus meritis dona minora tuis:
Trajano quod surgit, Opus mox destruet Ætas:
Æternum, sacro quod Tibi, Carmen erit.

## AD EVNDEM

### EPIGRAMMA. 7.

Dum premit Europam latè Bellona flagello,
Et Mars accendit, Morte sequente, faces:
Dono Tibi, Emanuel, paruumq; leuemq; Libellum,
Condivit salibus quem mea Musa suis:
Nempè tuos animos mulcebunt carmina, amaros
Si fortasse illos Rixa cruenta facit:
Accipe quidquid habet, manus utraq; sæpe revol-
Queis premeris, Curis dulce levamen erit. (vat;
Argutus totus ludit, totusque jocatur;
Delicias Menti datque, feretque tuæ:
Belligero in Campo pugnat Ludovicus, & audet;
Inque armis plausus Mille Philippus habet:
Tu lege, tu specta vultu mea metra benigno;
Vince hostem nostris versibus Invidiam.

AD

## AD EVNDEM
## EPIGRAMMA. 8.

O Generose Heros Equitum de stirpe vetusta;
Cui micat antiqua nobilitate Domus;
Te felix Villena colit, veneratur & omnis
Escalona animis Obsequiosa suis;
Te Populi, Terræque aliæ sub jure benigno
Non Dominum, Socium rentur & esse Patrem:
Accipe pacato vultu, genioque favente
Quæ Tibi, neve alii carmina Musa sacrat.
Illustret de fronte fluens lux aurea versus,
Et quod præclaro spargis ab ore jubar:
Sic me felicem facies, reddesque beatum,
Et tollam tumido vertice ad astra Caput.
Virgilios credam superare, & vincere Homeros;
Magnanimi tantum Principis Aura potest.

## AD EVNDEM
## PRO PACIFICO REGIMINE.

## EPIGRAMMA. 9.

Est Monstrum Populus, quo vix crudelius ullum;
Excidium Regno, cùm furit, ille parit:
Libertas nunc chara monet, nunc Ardor habendi
Sumere belligera tela cruenta manu:
Non tantum sævit pelagus, ferventibus undis;
Scylla parem rabiem, neve Carybdis habet:
Sæpe Domos, Dominosque cremat; sæpe eripit aurum,
Corrumpit fœdo crimine sæpe thoros:
Cæperat Vrbs isthæc sævis accendier iris;
Vndique erat nata seditione timor;
Tu vix venisti, & siluit cum pace tumultus;
EMANVEL, sub Te Principe ubique Quies:
Bellerophon cedat: laus est domuisse Chimeram;
Sed Populo frænum ponere majus Opus.

Excell. Tuæ

*Addictissimus quàm qui maximè*
Cæsar Fanelli.

# AUTHORIS PROTESTATIO
## Ad Lectorem sui Operis.

EXilibus his Adolescentiæ Nugis, & parvis hisce mei Operis elucubrationibus, nec Morum Honestatem, nec Fidei Integritatem, nec Regiæ Jurisdictionis Dignitatem offendere umquam præsumpsi: Deum enim omni humilitate vereor, Pontificem omni obsequio prosequor, & Regem omni fidelitate deveneror: si quid tamen præter animi intentionem, meæque mentis imaginationem è calamo effluxit, quod aut Juri, aut Jurisdictioni sit dissonum, pro deleto, pro non scripto, & pro adusto illud haberi apud omnes mihi protestor. Hæc nosce, Lector, & Vale.

---

| *ERRATA* | *CORRIGE.* |
|---|---|
| pag. 4. Epigram. 16. lila | illa |
| pag. 30. Epigram. 202. Itsonij | Istonij |
| pag. 58. Epigram. 382. fastus ubi nunc est, | fastus ubi nunc est? |
| pag. 66. Epigram. 422. prendendo | prandendo |
| pag. 69. Epigram. 433. quæritur. | queritur. |
| pag. 69. Epigram. 446. Val. | Valeri. |
| pag. 72. Epigram. 457. habpisse | habuisse |
| pag. 73. Epigram. 462. innumero. | innumeros |
| pag. 94. Epigram. 568. quis | quid |

# EXILES
# ADOLESCENTIÆ
# NUGÆ.
### SEU
# EPIGRAMMATON
## PARS ALTERA.

---

*Ad Eminentiss., & Reverendiss. Dominum*

**SPERELLUM DE SPERELLIIS**

S. R. E. digniſſimum Cardinalem,
dum in alma Academia Sanctæ
Marię ſuper Minervam Romæ

*Divi Thomæ Aquinatis laudibus, & encomiis benigniſsimè aſsiſtit.*

EPIGRAMMA. 1.

OMnia Cælorum novit Myſteria Thomas,
Angelus Ingenio creditus eſſe ſuo:
Articulos quotquot ſcripſit, miracula fecit,
Contudit Hæreſeos Palladis arte caput:

A Tu,

Tu, Spetelle, audis miranda encomia laudum,
Et gaudes plausus aure bibisse suos:
Participas equidem tantos cũ laude triumphos;
Quidquid enim docuit pagina, mente capis.

AD CÆCILIANVM. 2.

Omnia, quæ noscis, quamvis secreta, revelas;
Credimus hoc magnum, Cæciliane, scelus:
Lingua rea est culpę, linguam sua pęna sequatur;
Ne denuò peccet fando, recisa cadat.

AD FABIANVM. 3.

Mollius humanos vultus excudis in ære;
Nunc cælas Equites, nunc, Fabiane, Duces:
Ludit in argutis tua dextera sæpe figuris;
Arte beas oculos, ingeniumque mones:
Quisquis vel periit, vel mox, Fabiane, peribit,
Æternùm vivit sculptus in effigie.

AD PONTICVM. 4.

Quidquid habes, transit; quid, Põtice, cõgeris aurũ?
Quemque facit miserum mortis avara manus.

AD JVRISPERITVM. 5.

Sæpe legis Codices, sed non intelligis illos;
Neve sapis legum dogmata, nec sapies.

EPITAPHIVM. 6.

Qui jacet hic, cineres & conspue, & ossa, Viator;
Et patrem necuit barbarus, & patruum.

AD POSTHVMVM. 7.

Ex magnis Atavis genus est tibi, Posthume, & (Ortus;
Nobilior tota nullus in Vrbe fuit:
Sed non conveniunt claro cum sanguine Mores;
Quidquid agis, vilis neve bubulcus agit.

EPIPHANIA DOMINI. 8.

Vt Deus innocua de Virginis exiit alvo,
Fulsit in Eoo maxima Stella polo:

Re-

Regibus una tribus Dux facta per alta viarum
Bethlæam supra constitit acta Domum.
Hìc Regi regum dant regia munera Reges,
Et noscunt, humiles quem coluere, Deum:
O nostræ Fidei miranda potentia plausu!
Quod Ratio haud poterat noscere, nosse facis.

ROMAM COGITAT. 9.

Parthenope, valeas; grata est mihi Tybridis unda:
Pro Musis Helicon mox mihi Tybris erit.

SACRA CHRISTI SPINA. 10.

Cælorum Domino sacra tempora Spina pupugit;
Sic nata est Christi è vulnère nostra salus.

AD VITRI EFFRACTOREM. 11.

Fregisti vitri Molem, pro crimine carcer:
Non franges ferrum, quod tibi crura ligat.

AD LÆLIVM. 12.

Manè merum potas, potas & vespere, Læli:
Sic bona, quæ faceres pessima, metra facis.

DE CAPITE, ET SANGVINE
DIVI JANVARII. 13.

Et Caput, & Sanguis Fidei duo fulmina in Hostes;
Parthenope, flexo poplite utrumque cole:
Læta patrociniis invicti Martyris esto,
Nec turbent populos omina mœsta tuos.
Seu Mars, sive Fames, seu Pestis, sive Vesevus
Terreat, hoc Clypeo nil timuisse potes:
Nam Caput obsistet, si sæviat Hydra malorum:
Nam cruor extinguet, si caluere, faces.

AD PONTICVM. 14.

Auriga Aufidius fuerat; nunc, Pontice, caupo:
Mutavit mores, officiique vices:
Antea rexit equos, plausu moderado quadrigas;
Nunc rexisse gulam sæpe bibendo nequit.

DE HARPALO. 15.

Venatu lepores terrebat, & Harpalus Apros,
 Sæpe fatigando per juga celsa canes:
Nunc Morbus prohibet movisse manusq;pedesq;
 Nec clamore fremit qualiter ante nemus:
Immisit pestem fortasse Diana per artus,
 Tutior ut fieret grexque, pecusque suum.

AD OMPHILVM. 16.

Quid geminas versus?quid misces carmina cātu?
 Aurea quid querulis vocibus astra feris?
Non audit Phyllis, nec sentit vota precantis;
 Durior hircanis cautibus Illa riget:
Vile tibi genus est,deformis &,Omphile,vultus;
 Exigui census, exiguique lares:
Ferveat alterius posthac tibi pectus amore;
 Fortasse incipiet mitior esse Venus,

AD NESTOREM. 17.

Sit labor exiguus, tibi parva pecunia, Nestor;
 A furto, & morbo sic bene tutus eris.

AD ALANVM. 18.

Est Orbis Mundus, nihil orbis: Alane, putato,
 Quantumvis habeas omnia, habere nihil.

AD LÆLIVM. 19.

Divitiis refluis, Læli, quia stercora vendis;
 Vendit & urinam Matei, & Afra Soror.

DE HARPALO. 20.

Naturæ multum debet, nil Harpalus Arti;
 In vultu species plurima, nulla sapit.

AD CÆSAREM. 21.

Nulla mihi prorsus, tibi plura volumina,Cæsar:
 Sunt mihi nota tamen plurima, nulla tibi,

AD OLLVM. 22.

Quidquid habes mox esse nihil Mors, Olle,doce-
 Nam tua post mortem sola cupressus erit. (bit:

LEGIBUS OBEDIRE NOBILITAS EST. 23.
Nobile quid reputo studiis consumere vitam:
Vt poscunt leges, vivere, nobilius.

BELLVM. 24.
Si saevi Martis caleat crudelis Enyo,
Protinus assiduo murmure cuncta strepunt:
Æra alii fundunt, tormenta & fortia fiunt,
Quæ spernunt hostes, despiciuntque minas:
Horribiles alii formant de falcibus enses,
Et munit validum pulchra Juventa latus:
Missilium cumulant alii prudentèr acervos,
Eminùs ut possint pellere, si quis adest:
Omni ex parte fragor, sonat omni ex parte tumul
Qualiter hybernus cũ mare fluctus agit. (tus,

DAVID DE MARMORE. 25.
Et fundam, & lapides gestat de marmore David,
Et caput abscissum dextra Gigantis habet:
Sed cur non vires velut antea tractat in hostes?
Hoc unum satis est edomuisse caput.

JVDITH DE MARMORE. 26.
Vicit Olephernem quondam fortissima Judith,
Et patriam tutam reddidit illa suam:
Interiit tandem, sed nunc de marmore constat,
Vt vivat, quamvis sit cinis, in lapide.

AD MARCVM. 27.
Piscator Paulinus erat, nunc, Marce, Senator;
Aurum, qui rhombos cæperat ante, capit.

AD MICHAELEM. 28.
Luciferum domuit Michaël, tu dispare fato
Luciferi crebris vinceris insidiis.

AD CVRIALEM. 29.
Lingua tibi fando, scribendo dextera felix:
Miratur plausu noster utrumque forus.

AD BELLI DVCEM. 30.
Militiam ſequeris, Martiſque horrentia bella,
Et Ducis invicti nobile munus habes:
Nunc calcas ſpumantis Equi calcaribus armos;
Dextera nunc hoſtes terret, eundo pedes.
Belligeras palmas, & colligis enſe triumphos;
E' ferro numquam vulnus inane cadit.
Pectore Marcellos plures, & corde Camillos
Vnus habes; Regis Gloria, Amorque tui.

AD SABELLIVM. 31.
Quidquid habes cordi, velles patrare, Sabelli;
Sed timor, & Juris pœna moratur opus.

S. PAVLVS PRIMVS EREMITA. 32.
Neglectus cultu Paulus dum vivit Eremo,
E' Cælo panis munera geſtat Avis:
Providus ore ferens totis alimenta diebus,
Creditus eſt Corvus Piſtor, & eſſe Coquus.

AD MAVRVM. 33.
Te Maurum dicunt, deberes dicier Aurum,
Ex Auro mores ſunt tibi, Maure, tui.

AD LINVM. 34.
Nil habet Aufidius, nil amplius attamen optat:
Ditior Aufidio nec, Line, Cræſus erat.

AD COSMVM. 35.
Pulcher es,& miles: Mars es generoſus in armis;
Cùm comes eſt conjux,Coſme,putaris Amor.

AD MAXIMIANVM. 36.
Pulchra tibi veſtis, pulchra eſt coma, pulchrior (uxor:
Mos eſt deformis,Maximiane, tuus.

BELLA. 37.
Bella per Europæ fines jam fulmina vibrant,
Et jaciunt latè pernicioſa faces:

Jam

Jam tonat Occasus, plus pertonat Ortus ab ar-
Funeribus mixtus regnat ubique timor. (mis:
O utinam cesset tantus cum pace tumultus;
Et felix Ducibus cingat oliva caput.

AD PAVLAM. 38.

Rete mihi mittis, vis me comprendere in illo?
Paula, alios fallax si capis, haud capiar.

AD ALANVM. 39.

Donasti Veris pulcherrima munera, flores:
Donabo fructus ruris, Alane, mei.

AD OLLVM. 40.

Omnia Paulus habet, Paulo tamen omnia desũt:
Omnia si quis habet, possidet, Olle, nihil.

AD PONTICVM. 41.

Parthenope peperit scelerum tibi, Pontice, noctē:
Dat scelerum veniam Roma, paritque diem.

AD PAVLVM. 42.

Cæcus es, & Rhetor; fronti quæ lumina desunt,
Nec dictis desunt, Paule, nec eloquio.

AD FABIANVM. 43.

Quidquid habet Pallas, credis cõprendere mente:
Aut hæc est Levitas, aut, Fabiane, Furor.

DE IMAGINIBVS. 44.

Effigies quotquot spectas, miracula dicas:
Naturam superat nobilis Artis opus.

D E S E. 45.

Mutantur crines, sic poscit avara Senectus:
Cycnus ero posthac qui modò Corvus eram.

AD EVNVM. 46.

Cùm sis mendicus, dives cupis, Eune, videri;
Irridet Mores quilibet, Eune, tuos.

AD POTITVM. 47.
Quidquid habes, vendis, campos, armẽta, domosq;
Stultitiam vendes quando, Potite, tuam?

AD POSTHVMVM. 48.
Nunc hoc, nunc illud, facis omnia, Posthume, solus:
Sollicitos mores Ardelionis habes.

DE PAVLO, ET BYTHINNICO. 49.
Paulus amat patriam, patriam Bythinnicus odit:
Impius iste suis moribus, ille pius.

AD PONTICVM. 50.
Mille tibi Codices legavit, Pontice, Quinctus;
Insipiens tamen es, Pontice; nulla sapis.

MORS. 51.
Paulatim tempus miseros nos ducit ad Vrnam:
Qui Fati evitet fulmina, nullus erit.

AD MACRINVM. 52.
Grande malum bellum, sed Pestis grandius illo:
Pejus utroque tamen credo, Macrine, Famem.

AD EVNVM. 53.
Et cartham, & calamũ mittis pro munere nobis:
Vt scribam versus, quos cupis, Eune, jubes.

PRVDENTIA. 54.
Humanos Mores Prudentia sola gubernat:
Hæc si deficiat, cætera crimen erunt.

AD FABIANVM. 55.
Quid juvat argentum, si sit, Fabiane, sepultum?
Laudantur quotquot conspiciuntur Opes.

AD LÆLIVM. 56.
Sis humilis, Læli, si vis ascendere in altum:
Quò plus depressa est, altiùs unda salit.

AD

AD PAVLVM. 57.
Conspicuo curru veheris benè, Paule, per Vrbē:
Tempus erit, pheretro cùm malè vectus eris.

AD FABIANVM. 58.
Ne comedas, Fabiane, nuces, ut nomine mōstrant,
Nequaquam prosunt, sed, Fabiane, nocent.

AD NESTOREM. 59.
Cœna tibi dives, tibi pinguia prandia, Nestor:
Sed macrum vultu te facit Invidia.

AD PAVLVM. 60.
Attalicas Aulas, atque alta palatia Regum,
Turritasque Arces, sidereasque domos,
Pyramides, portus, templa, amphitheatra, Co-
Contractis spectas, Paule, superciliis. (lossos
Omnia vana tamen, quoniam refluētibus annis,
Temporis invicto sub pede pulvis erunt.

AD PONTICVM. 61.
Mœstus eras, tristisque genis; nunc, Pōtice, gaudes:
Argutosque hilaris spargis ubique iocos.
Scilicet ante mihi fuerant, & prædia, & aurum;
Nunc egeo infelix, Pontice, factus inops.

AD COSMVM. 62.
Scire cupis quidquid nostra patratur in Vrbe;
Exploratores, Cosme, proinde soves:
Sunt hæc vana tamen dispendia, cautior esto:
Res cupias tantùm noscere, Cosme, tuas.

AD PAVLINVM. 63.
Aufidium, Pauline, doces puerilibus annis:
Basia plus poscit quàm documenta rogat.

TYRVS URBS. 64.
Est Tyrus ante omnes Syrię memorabilis Vrbes.
Antiquitate Patrum, Relligione Deùm;

Fluctibus in mediis sedem sortita superbit,
Spernit & hostiles fortis ab arte minas:
Venit ad hanc Pellæ generosus, & inclytus Heros,
Atq; aditũ poscit, neve benignus habet. (ros,
Tunc Rex accensus furiis, atque Igneus ira,
Vrbs negat ingressum, dixit, at arma dabunt.

DE SE. 65.

Nigra mihi cùm barba fuit, vel prima lanugo,
Gaudia servabat quæque puella sinu;
Nunc mihi de mento incipiunt erumpere cani,
Et sentit rabiem quæque puella suam.

OTHO IMPERATOR. 66.

Romanos populos dum legibus Otho regebat,
Adstitit ad solium parvulus ore Nepos,
Cui Rex hæc inquit, Patrui jam Cæsaris esto
Nec valde oblitus, nec nimis esto memor:
Sic non ignavus fueris, non corde superbus:
Laudabit mores martia Roma tuos.

AD PONTICVM. 67.

Sis licèt in mundo, non es de, Pontice, mundo:
Cælestes habitat Mens tua casta domos.

PETRI DE FVSCO.

EPITAPHIVM. 68.

Hic ubi magnifico consurgunt marmora cultu,
Et tumulus fastu nobiliore tumet;
Hic ubi stat tristis Pietas, neglecta capillos,
Et velata genas Relligiosa Fides;
Hic ubi Justitiæ lances, & pondera spectas,
Et Codices vultu mœsta Minerva legit.
Ossa Petri, cineresque jacent, spectabilis olim
Causidicos doctos inter honore togæ,
Integer, atque pius, nec non prudentèr honestus
Vixit; ut interiit, flevit uterque forum.
Fuscus ei cognomen erat, nil clarius illo
Conspicient posthac sæcula, quotquot erunt.

AD

AD PAVLINVM. 69.
Lippus eras, oculisque parùm, Pauline, videbas:
Omnia diripuit Curia, nulla vides.

AD MARIANVM. 70.
Orator fueras, nunc es, Mariane, Poeta;
Quæque soluta priùs verba, ligata facis.

DE AFRA. 71.
Tempore nocturno gaudet, dolet Afra diurno:
Nocte virum fallit; non tamen Afra die.

AD PAVLVM. 72.
Calculus assiduus torquet tua viscera: fiet
Ille sepulchralis mox tibi, Paule, lapis.

AD LINVM. 73.
Quod, Line, furaris, præbet tua dextera scortis;
Sic duplex crimen te facit esse Reum.

AD EVNVM. 74.
Ebrius, Eune, furis, mōstrant quæ verba profaris;
Nam redolent Venerem, Luxurieque calent.

AD NESTOREM. 75.
Scribebas arcana Vrbis, prohibente Senatu,
Sed sceleris pœnam convenienter habes:
Ante exarabas calamo, quæ digna taceri;
Emeritum remo nunc mare, Nestor, aras.

DIES NATALIS CHRISTO-DOMINO. 76.
Gaudia sint læta totum diffusa per Orbem;
Exulet ex animis, qui fuit ante, dolor.
Mox Deus in terras patriis descendet ab astris,
Inque specu tenero vagiet ore puer.
Fulminibus positis, comitē sibi ducèt Amorem:
Regna per, & populos fœdera pacis erunt:
Incipient mites cum tigribus esse Leones,
Nec lædet Coluber dente, nec ore Lupus.

Nectareos succos mittet de frondibus arbor;
Et Vitrei fontes dulcia mella dabunt:
Aurea felici decurrent sæcula cursu;
Et refluent fato nobiliore dies.

AD PONTICVM. 77.
Donasti parvum speculum mihi, Pontice, nuper:
Infames mores exprimit arte tuos.

AD LINVM. 78.
Vinea magna tibi est, mihi maximus hortus ad Vrbē:
Nec vivo pauper; nec, Line, vivis inops.

DE PAVLO. 79.
Omnia Paulus habet, desūt tamen omnia Paulo:
Omnia enim pellex, alea, cœna rapit.

AD HARPALVM. 80.
Ars Iuvenē, Natura senem facit, Harpale, Paulum:
Candet enim vera est quæ coma, ficta nigret.

AD PAVLAM. 81.
Vis, &, Paula, volo quod tu; mens una duobus:
Solvere Mors poterit quos sibi junxit Amor.

AD OLLVM. 82.
Quæ sub Sole jacent, mutantur, & Olle, senescunt:
Nec senium sentit, nec Deus, Olle, vices.

AD EVNVM. 83.
Irrides alios dictis mordacibus, Eune;
Esse Jocum dicis quod doluisse facit:
Quid facies morsu, si gignis vulnera risu?
Ore placendo feris; mel, & acumen habes.

AD POSTHVMVM. 84.
Vrbanus salibus, dictis cupis esse jocosus,
Posthume, sed multos ingemuisse facis.
Quæ ferit, & perimit, non est laudanda Venustas;
Cùm nullos lædunt, tunc placuere sales.

SOL

SOL IN LEONE. 85.

Cùm Sol ingreditur ſedemque,domumq; Leonis,
Tunc in Mortales ſæva venena vibrat.
Ne credas,eadem nam mors eſt tempore in omni,
Seu Leo, ſiue Aries, cùm venit, emorimur.

AD MARIANVM. 86.

Faſtidis vinum, cùm ſis, Mariane, Poeta;
Nec credo; abſtemius nemo poeta fuit.

AD PONTICVM. 87.

Non niſi Militias, acies, & prælia pingis;
Belligeros animos, Pontice, Pictor habes.

AD PAVLINVM. 88.

Inter delicias ſpectas, Pauline, pheretrum:
Noſce quod es; parvus pulvis, & umbra levis.

AD COSMVM. 89.

Pulcher es,& vultu fulges ceu, Coſme, Cupido:
Omnia, Coſme, genis corda proinde trahis.

AD QVINCTVM POTITVM. 90.

Vota Deo ſupplex offer ſub luminis ortu,
Vivere ſi felix, Quincte Potite, cupis.

AD PHILIPPVM IV. HISPANIARVM REGEM. 91.

Juppiter è Cælo punivit morte gigantes,
Qui malè moverunt bella timenda polo:
Nunc Tu condigna puniſti morte rebelles,
Neſcio quid monſtras, Magne Philippe, Jovis.

AD AVRELIVM. 92.

Abiicis, Aureli, nimiùm te: noſcere oportet
Qui ſis: Romanæ nobilis Vrbis Eques.

AD FABIANVM. 93.

Abjectè, Fabiane, nihil fac, nilque ſuperbè:
Quod medium eſt, agito; ſic tibi plauſus erit.

AD

AD BYTHINNICVM. 94.

Quidne tumes audax animis, Bythinnice? spernis
Regnantum leges, Imperiique jugum.

AD AVLVM. 95.

Optimus in folio tunc Princeps insidet, Aule,
Cùm Timor in populo regnat, Amorq; comes:
Solus Amor semper fecit contemnere Reges;
Excitat Insidias, perfidiamque timor.

VENVS. 96.

Antidotum Venus est, si sit moderata; saluti
Pernicies tamen est immoderata Venus.

BALNEA. 97.

Balnea conservant corpus, si rara, juvantque:
Si crebra, corrumpunt corpus, & illa nocent.

VINA. 98.

Vina ferunt menti cum jure epota vigorem:
Illa ferunt eadem sine jure epota furorem.

AD OLLVM DE NERONE. 99.

Morte Nero matrem damnavit, &, Olle, magistrũ;
Vrsisse & Romam credidit esse Jocum.
Africa non genuit Monstrum crudelius illo,
Nec par hircanis Tigribus orta fera est.

AD PAVLVM. 100.

Omnia, quæ spectas, paulatim, Paule, senescunt;
Deficimus lapsu temporis, & morimur:
Edidicit Clotho crudelis parcere nulli;
Pulvis erunt Reges, pulvis & Agricolæ.

POMPEII SIMVLACHRVM. 101.

Hæc est Pompeii culto de marmore Imago;
Æmulus invicti Cæsaris ille fuit.
Romana fieri primus tentavit in Vrbe,
Impatiens fastu substinuisse parem.

Edomuit tandem Fortuna adversa superbum;
Abscissum jacuit Cæsaris ense caput:
Nunc iterum fastu tumet hic mirabilis Arte;
Sed tacito rosus tempore pulvis erit.

AD PONTICVM. 102.

Infames lusus, & bacchanalia plaudis
Sollicitus Venerem, Luxuriemque sequi:
Assiduis epulis convivia lauta calescunt,
Quæ parat arguta nobilis arte coquus.
Timpana cum cytharis resonant, lituique, lyræq;
Et choreæ, & cantus nocte, dieque domi:
Sic longos annos credis vixisse, sed erras:
Deliciæ accelerant, Pontice, Mortis iter.

DE AVLO. 103.

Purpureis quamvis utatur vestibus Aulus,
Numquam de vitiis erubet ille suis.

AD FABIANVM. 104.

Vincimus in bello vel forti Marte, vel Arte:
Sæpe potest gladio plus, Fabiane, dolus.

PHYLLIS CLAVDA. 105.

Claudicat aspectu Phyllis pulcherrima: claudus
Vulcanus fuerat, nunc quoque clauda Venus.

AD SACRILEGVM. 106.

Improbe, quid cautem vibras in Virginis ora?
Quidne feris, saxo percutiente, genas?
Deliciæ superûm vultu hoc nituntur; ab illo
Distillant lepidi, qui placuere, Joci:
Siste ictum, miranda aliter portenta videbis;
Fulmina de vultu hoc in tua damna fluent.

AD HARPALVM. 107.

Contribuit laurum Phœbus, non contulit aurum
Argutis Musis, Carminibusque meis:
Aurum, non Laurũ vellem tamen, Harpale; dives
Mandarem Versus nocte, dieque typis.

AD

AD OLLVM CERDONEM. 108.

Te febris torquet, nec spes est ulla salutis;
Neve movent superos munera, neve preces:
Qui poteras pelles extendere dentibus olim,
Extendisse dies non potes, Olle, tuos.

AD ALANVM. 109.

Vt choreas discas, furaris sæpius aurum:
Quod tibi pes aufert, reddit, Alane, manus.

AD PAVLVM ORATOREM. 110.

Nec tibi divitiæ; nec Paule, numismata fulgent:
Sed benè cùm dicas; aurea lingua tibi est.

AD COSMVM. 111.

Piscem, quem pictũ monstrat tua, Cosme, quadriga,
Divide; cauda tibi, sit mihi, Cosme, caput.

AD CÆCILIANVM. 112.

Quæ sit Materies nubis, quæ forma, quis Author,
Inquiris longo, Cæciliane, libro:
Nube nihil levius, qui posthac dixerit, errat;
Nam levior Mens est, Ingeniumque tuum.

AD SABELLIVM. 113.

Sunt oculi obliqui, facies tibi torta, Sabelli;
Contemnit thalamos quæque puella tuos.

AD AVITVM DE FABIO. 114.

Basia per totam Fabius dissèminat Vrbem,
Se juvenem credit, cùm sit, Avite, senex.

AD TIMPANISTAM. 115.

Militiæ in medio resonantia timpana pulsas,
Ad pugnam accendis, Marte furente, viros.
Sternuntur passim truncata cadavera: cædem
Nec faciendo facis, nec pariendo paris.

AD PAVLAM. 116.

Blandiris, rides, gaudes, &, Paula, jocaris,
Me quocunque loco conspiciendo vides:
Hæc est luxuries, hæc est & , Paula, libido:
Quid velles, nosco; sed tacuisse juvat.

DE AVFIDIO. 117.

Aufidius pallet, pro morbo pharmaca quærit;
Præscribit Medicus pharmaca, neve juvant:
Desinat Aufidius nostra de sorte dolere,
De vultu pallor protinus exul erit.

AD NESTOREM. 118.

Exeris ut mulier tumido de pectore mammas;
Vt mulier partum num quoque, Nestor, habes?

AD PONTICVM. 119.

Bis septem natæ, totidem tibi, Pontice, neptes;
Quæq; tamen vultu nubilis, apta viro:
Exiguus census tibi, Pontice, parva facultas;
Incipiet dives cornibus esse domus.

MARCVS TVLLIVS CICERO. 120.

Defendit causas, Romæ plaudente Senatu,
Tullius aurifero nobilis Eloquio:
Consulis officio sapientèr in Vrbe potitus
Terruit ille Hostes, terruit ille Reos:
Obstitit egregiis gestis Antonius, ense
Abscindi jussit, quod tonat ore, caput:
Ad funus tacuit miranda potentia linguæ:
Sed Fama incipiet pro Cicerone loqui.

MVLIER. 121.

Est follis Mulier, quæ visu suscitat Ignem
Luxuriæ, mentem fæda deinde cremat.

AD SOLIMANVM. 122.

Das Soli, Solimane, manus mihi: despicis omnes:
Id faciunt Musæ, quæ placuisse solent.

MORS

MORS DE ÆRE. 123.

Cælavit Mortem parvo Fabianus in ære:
Mors immortalem reddidit arte Fabrum.

PRISCA VBERTAS. 124.

Temporibus priscis fecundo viscere Tellus
Vberiùs fructus officiosa dabat:
Nunc veluti sterilis frustratur Vota Coloni,
Vix reddit campus semina jacta solo:
Nempè priùs fuerat quicunque Senator, Arator;
Laurigero scindi vomere ovabat ager.
Subque triumphali stando lætissima aratro
Divitior segetes concipiebat humus.

REGES. 125.

Hæc est conditio, seu magna potentia Regum,
Quidquid demonstrant moribus, ore jubent.

AD PAVLVM. 126.

Nunc caules, nunc poma aufers, nunc allia ab Horto,
Paule, meo; Neptis, teque socrusque videt.
Abstineat posthac manus improba, Paule, rapinis,
Morte aliter solves qualiacunque rapis.

AD HARPALVM. 127.

Frigescis gestu, frigescis &, Harpale, verbis:
Optimus æstivo tempore Rhetor eris.

AD MARIANVM. 128.

Pauper es, & sequeris pulchras, Mariane, puellas,
Perque domos noctu, vespere perque vias:
Vanus Amor tamen est, necnon & vana libido;
Friget enim, pretio deficiente, Venus.

AD PAVLVM DVM APRICATVR AD IGNEM. 129.

Et Sol, atque Ignis duplicant tibi, Paule, calorem;
Tu tamen, & friges, & tibi membra gelant:

Ni-

Nimirum te, Paule, reum de crimine noscis,
Et pœnam sceleris, suppliciumque times:
Quidquid fecisti noctu, Sol luce revelat;
Et quod par esset, funus in Igne vides.

DE AVFIDIO. 130.

Rus habet Aufidius, quod gignit plurima poma,
Autumno fruitur cùm mala sævit Hyems:
Nunc ficus, nunc poma mihi nunc mittit & uvas,
Sæpiùs impertit fructibus ille suis:
Quid reddam? supplex ventosque, geluq; precabor,
Vt semper plantis, arboribusque juvent.

AD PAVLVM. 131.

I Romam, legatus ibi pro Cæsare fies;
Officio meritis conveniente tuis:
Erravi, sed lingua tamen se corrigit; illic,
Vt remex fias, Paule, ligatus eris.

AD MARCVM. 132.

Cùm tibi deficiant dentes, plus fercula rodis:
Quid faceres, dentes si tibi, Marce, forent?

AD HARPALVM. 133.

Patria te Gallum, leporem timor, Harpale, fecit;
Sed Livor colubrum, Luxuriesque suem.
Nō Sus, nō coluber, lepus es, neve, Harpale, Gallus;
Vis dicam quid sis, Harpale? magnum animal.

DIDONIS IMAGO. 134.

Hæc est Æneæ Dido pulcherrima amatrix;
Proxima Didoni quæ comes? Anna soror.
Ipsa sibi Mortem duro cur præbuit ense?
Viderat Æneam subripuisse fugam.

AD LÆLIVM. 135.

Plura sapis, Læli; tamen omnia noscere dicis:
Omnia cùm dicas noscere, nulla sapis.

ARI-

ARISTOTELES IN EFFIGIE. 136.

Palladis hic honor est, & gloria magna Stagiræ,
Maximus Ingenio, nomine Aristoteles.
Abdita Naturæ penetravit, & omnia novit;
Neve est, neve illo doctior ullus erit.
Tentavit capere Euripum, nec posse dabatur;
Mersus ab Euripo maluit ille capi.

AD OLLVM. 137.

Ebrius es semper, numquam jejunia servas:
Scis servire gulæ, non tamen, Olle, Deo.

ROMA. 138.

Roma suis literis versis quid personat? Armo;
Nunquam Armis facta est Roma superba suis:
Edomuit victrix Vrbes, populosque rebelles;
Extulit & fastu nobile ad Astra caput.
Errantes oculos, & lumina verte per Orbem,
Invenies Roma grandius esse nihil.

ROMA. 139.

Grāmata si vertas, fiet MORA maxima ROMA;
Nam perhibent ROMAM restituisse MORAM.

ROMA. 140.

ROMA tibi speciosus AMOR, si grāmata vertas;
Catholicam didicit semper AMARE fidem.

AD PAVLVM. 141.

Indulges toris ventrique, gulæque diebus
Prodigus, & nummis parcere dextra nequit.
Quis te, Paule, furor? quæ te dementia cæpit?
Natarum, & Neptum maxima turba tibi est.
Mox poscent cum dote viros, nec pauper habebis:
Si sapis, & sumptus,& moderare gulam.

AD HARPALVM. 142.

Antea Mimus eras, nunc factus es, Harpale, Mo-
Officiū infame est, Vitaque, Mosq; tuus. (mus:

AD

AD NESTOREM. 143.

Vænali plena est, Nestor, tibi cella falerno,
  Tu tamen epotas fontis avarus aquas.
Divitias Vitæ præfers, nummosque saluti,
  Nec rationis habes lumina, neve sapis!

AD PAVLINVM. 144.

Ore senex, chirager, podager, morboque laboras;
  Et lachrymas tota nocte, dieque doles.
Interdum te Rheda trahit, Pauline, per Vrbem;
  Sed mox illa eadem te trahet ad tumulum.

AD APPOLLINEM. 145.

Laurigero hùc venias Pindi de culmine, Apollo,
  Et noli longas continuisse moras;
Vt Vates affer Cytharam, nervosque canoros;
  Vt Medicus tecum pharmaca grata feras:
Vt Vates Vatem doceas, & suggere carmen;
  Vt Medicus morbum pelle, luemque fuga.
Accipies geminas Agnas, nam debita eidem
  Altera quà Vati est, altera quà Medico.

AD PAVLVM. 146.

Filia sola tibi est, proles nec, Paule, virilis;
  Nititur inque una speque, decusque domus:
Jamque est apta viro, thalamos conjungere jugales,
  Vt te, Paule, nepos dicere possit Avum.

AD PONTICVM. 147.

Qui latera adstringit tibi, Pontice, funis utrinque,
  O collum adstringat, Pontice, utrinque tuum!

SI DIVITIÆ AFFLVANT, NOLITE
COR APPONERE. 148.

Si Tagus, aut Ganges fœcundo gurgite gemmas
  Offerat, aut aurum dives Erythra suum.
Despicias, animumque illis apponere noli,
  Plus cruciando nocent, quàm recreando juvant.

GRÆCA FIDES. 149.

Omnia græcorum nimio dignissima plausu:
Hoc unum indignum est, credito, græca Fides.

ROMANI FASTVS. 150.

Templa, Theatra, Arces, Montes, Simulacra, Colossos
Magnifica Patris Martis in Vrbe vides:
Contracto vultu miraris, & omnia laudas,
Inque illis Artem plaudis, & Artifices.
Vrbem Orbem dixisse potes, mirabilis illa est,
Imò Orbis pulchra creditur Vrbe minor.

AD OLLVM. 151.

Abstulit atra lues, doleo, Olle, pedesque, manusq;
Nec tractare pedes, nec potes, Olle, manus.
Lingua, oculiq; tamen, pariter doleo, Olle, supersũt,
Carpis enim, quoties carmina nostra vides.

AD EVNVM DE MARIANO. 152.

Cum sociis Marianus erat super, Eune, phaselo;
Dixit & inculto carmina inepta sono:
Insipidæ Musæ tibi sunt, tunc protinus inqui;
Quantumvis medio sis, Mariane salo.

AD PAVLVM. 153.

Nunc mihi ficedulas mittis, nunc, Paule, falernũ,
Nunc dulcẽ leporem, nunc mihi mittis Aprũ:
Pro donis velles Epigrammata nostra, nec unquã
Illa leges; quoniam carpere quemque soles.

AD NESTOREM. 154.

Lucrari velles vendendo, &, Nestor, emendo;
Impedit id febris pessima, neve dole:
Sunt tibi formosæ pulchra cum conjuge Neptes,
Hæ census augent, multiplicantque tuos.

AD SERAPHINVM DE CINCIIS ROMANVM. 155.

Ingenuos Equitum mores sectatus, & Artes
Sperato è fastu gaudia mille tuo;

Nunc

Nunc habitum mutas, Seraphin, laudaris in illo;
Ecchlesiam sequeris, Pontificemque colis:
O vivas longos annos, sit cana senectus;
Tunc etenim meritis purpura danda tuis.

AD PHILOSOPHVM ROMANVM. 156.

Abdita Naturæ tua Mens penetralia pandit;
Et causas omnes ingeniosa docet;
Cedat Aristoteles, nam tu sapientior illo;
Te quoque & Heraclitus, Democritusq; minor.
Roma dedit plausus, dant & Capitolia laudes,
Et resonat nomen Tybridis inter aquas:
Auriferam Statuam tibi fabricat inclyta Pallas,
Sub pede cælatum sæcula nomen erit.

DEMOCRITVS IN EFFIGIE. 157.

Hic est Democritus parva sub imagine pictus;
Diffusis rugis horrida barba riget:
Omnia contempsit tamquam dignissima risu;
Ridet adhuc fictus vultus in Effigie.

VIRTVS CVM DIVITIIS. 158.

Cum tibi divitiæ, tunc est plus fulgida Virtus:
Insolitumque suo mittit ab ore jubar:
Deficiente quidem, semper vilescimus, auro;
Aurum Virtutem plus micuisse facit.

AD CLEMENTEM XI. PONTIFICEM OPT. MAX. 159.

O lux Pontificum, dignissima Gloria Romæ,
Cui meritum nomen nobilis Alba dedit;
Ingenium, & Pietas animo junguntur in uno,
Et sub Mente tua constituere Domum;
Pro meritis aptum capiti peperere triregnum;
Romanos populos non sine laude regis:
O tantum lumen semper fulgescat in Alba,
Occasum numquam sentiat, astra rogo.

APIS IN ELECTRO. 160.

Electrum parvæ volucri fatale sepulchrum:
Sic se nobilius credidit illa mori.

HIERONYMVS CARDINALIS CASANATE SVPER BIBLIOTHECAM PICTVS ROMÆ. 161.

Hic ubi mille manu pretiosa volumina voluis,
Et varios servat Bibliotheca libros,
Pictus in Effigie felix Hieronymus adstat,
Et spectat magnam Palladis ille domum.
Sedulus ingenio carthas videare legendo,
Pigritiam muto corripit ore tuam.

AD OLLVM. 162.

Perque hàc, perque illàc visus cupis, Olle, videre:
Ex oculis funus mox fluet, Olle, tuum.

AD LÆLIVM. 163.

Æqua fuit numquam, Læli, sententia præceps;
Non pensata diù verba nocere solent.
Ne se decipiat Judex, dum judicat, auris
Audiat Actorem dextra, sinistra Reum.

JVDAS IN IMAGINE. 164.

Hic est Infamis Judas de stipite pendens,
Dux sceleris, Christi proditor ille fuit.
In pœnam crepuit medius; qui viscera Amoris
Non habuit, fudit viscera, & interiit.

AD PORTIAM. 165.

Frons, oculi, vultus fervent tibi, Portia, semper:
Vel quia sæpe bibis, vel quia semper amas.

AD PAVLVM. 166.

Vendis in Vrbe nivem, lucrosa industria in estu;
Reddit in hyberno tempore, Paule, nihil.

VERIS ADVENTANTIS DESCRIPTIO. 167.

Triſtis Hyems abiit rigido metuenda flagello ;
Satque nives ſparſit, fudit & illa gelu :
Incipiunt ſtupidi quondam decurrere rivi;
Et reſluit vinclis unda ſoluta ſuis .
Jamque inſtant jucunda nimis,miradaque Veris
Tempora, & Aprilis vernat ubique comis :
Flora caput violis redimit, crineſque decoros,
Quam circum ludit Gratia cumque Jocis :
Luget Ityn Progne, nidos & fabricat ore,
Vt foveat pullos ingenioſa ſuos .
O quantum lumen mittit de lumine Titan !
O quantum rutilo vibrat ab ore jubar !
Vmbra minùs fuſcat radios, lucemque diei;
Incipimus Cælo fulgidiore frui .
Quid facient noſtro jucundo hoc tempore Muſæ?
Accipiat dulcem dulcis Apollo Chelym .
Pontificis celebret laudes, atque inclyta geſta,
Vtque ſenex numeret ſæcula mille, roget :
Vena quidem reſluet florenti fonte metrorum,
Dum nova floreſcunt tempora, Verque redit .

AD NEAPOLIM, ET ROMAM. 168.

Parthenope, valeas; valeas, tu Martia Roma ;
Nec grata Ambitio, nec mihi gratus Amor .

ALEXANDRI EPITAPHIVM. 169.

Pellæum Regem tenet hæc brevis Vrna, Viator;
Orbis vix illum cæperat, Vrna capit .

AMBITIOSVS. 170.

Vix Romam vidi, cùm Romæ mænia fugi ,
Magna licèt, meritis credita parva meis .

DE GELLIA. 171.

Pignora bis ſeptem peperit jam Gellia pellex;
Nec demonſtrat adhuc Gellia habere ſalem .

### AD PONTICVM. 172.

Cauponi nuper tua filia, Pontice, nupsit;
Sæpiùs explebunt fortia vina gulam.

### DE PORCIA. 173.

Porcia Pictorem quærit pro conjuge conjux;
Quæ fingit Pictor, Porcia pingit acu.

### DE SE. 174.

Purpureum sperno generoso corde galerum,
Spinea dum Christi chara corona mihi est.
Ille mihi æternam poterit peperisse gehennam;
Hæc mihi, quod cupio, conferet Empyreum.

### AD POSTHVMVM. 175.

Magna tibi febris est, febris est mihi, Posthume,
Te calor excruciat, me malus urit Amor. (major;

### AD PAVLVM. 176.

Lætaris semper, pensas quia, Paule, sepulchrum,
Te lethum lætum reddit, & esse facit.

### AD CLEMENTEM XI. PONTIFICEM OPT. MAX. 177.

O Fidei Rector, primum Caput Vrbis, & Orbis,
Qui Petri navim per vada cæca regis,
Si Virtutis Amor, si te movet alta Poësis
Gloria, si fastus quæris, amasque tuos;
Auxilium præsta Musis, alimentaque Vati
Suffice, & optatas dextra ministret Opes,
Protinùs Ingenium sublimes induet alas,
Conspicuumque tuum tollet ad astra genus.
Pontifices reliquos inter ter maximus unus
Fulgebis trino cinctus honore caput:
Præbuit emeritum felix Clementia nomen,
Parce ausis, supplex te rogo, parce meis.

### AD PAVLVM. 178.

Spurius es, græcis musis par totus Homero;
Illi quot patriæ, tot tibi, Paule, patres,

AD

AD S. CRESCENTIVM MARTYREM. 179.

Dum Mars effervet, dum personat igneus imber,
Et fata belligero verbere calcat Eques,
Vndique, Crescenti, populus concurrit ad ædem,
Spectat ubi supplex corpus, & ossa colit:
O facias belli tantos siluisse tumultus,
O facias Regum conticuisse minas.
Miles es, & Martyr; gladio sæva arma fugato;
Sanguine consistat sanguinis Vnda jube.

AD OLLVM. 180.

Sæpe cinis friget, sed viscere continet Ignem,
Sæpe silet pelagus, naufragiumque parat;
Sic tibi candescit crinis, mentumque rigescit,
Sed Venerem celas, luxuriemque foves:
Hyppocrisis barba est, dicenda dolosa senectus,
Sub nive lascivas quæ tegit, Olle, faces.

AD FABIANVM. 181.

Luxuriem exerces, quoniam, Fabiane, gulosus:
Luxuries claudum te, Fabiane, facit.

APOLLINIS SIMVLACHRVM. 182.

Hic qui laurigero redimit sua tempora serto,
Et pulsat Cytharæ fila canora manu,
Est Vatum Præses, Musarum Numen, Apollo;
Cui supplex offert quique Poëta preces:
Pythonem necuit telis cælestibus olim,
Nunc sensus recreat vivificando tuos.

AD PVEROS. 183.

Medeæ Statuam, Pueri, quid luditis ante,
Et varios varia texitis arte jocos?
Si bilis caleat, vos protinùs ungue necabit,
Nec fratri novit parcere sæva suo.

AD LVCIVM HISTORIOGRAPHVM. 184.

Historias rerum tentas scripsisse recentum;
Sunt obscura tamen quæ monumenta doces:

Lux tibi conſpicuum nomen dat, maxime Luci;
Sed Noctis tenebras quod malè ſcribis, habet.

AD BYTHINNICVM. 185.
Rhethoricæ incumbis, Bythinnice, ſegniter uni;
Hæc eſt Ingenii cura, laborque tui.
Diſcere plura juvat, nam creſcit imagine rerum
Dicendi dives copia, & eloquium.

AD LINVM. 186.
Muſica grata tibi, Line, grata Comædia nobis;
Delectat numeris illa, ſed iſta juvat.

AD AFRAM. 187.
Cum puero ludis, nihil eſt tibi charius illo;
Oſcula habere potes, non tamen, Afra, premi.

GELLIA, ET POLLIA. 188.
Gellia triſtatur ſemper, ſed Pollia gaudet:
Hæc juveni nuper nupſit, at illa ſeni.

AD PONTIVM DE HYEME. 189.
Jamque nives vibrat Juno gelidiſſima In Orbem,
Et Boreas rigidum ſpargit ubique gelu:
Interea, fumante mero, nos ſtemus ad Ignem,
Et recitet verſus, Pontice, quique ſuos.
Tu lauda dulces mores Amaryllidis, addam
Quas ego pro dulci Phyllide geſto faces.

DE MARIANO. 190.
Do grates ſuperis, quoniam Marianus obivit,
Claudus erat, cæcus, luxurioſus, inops.

AD PORCIAM. 191.
Fallere quò poſſis longæ faſtidia Noctis,
Percurrit telas pectine laſſa manus:
Nimirum vidua es, te, Portia, & odit amicus;
Neve moras Noctis mulcet, ut ante, Venus.

AD

AD POSTHVMVM DE FABIO. 192.

Nil gravius Fabio, si spectas, Posthume, gressum;
Si spectas mores, Posthume, nil levius.

SEPTIMIVS SEVERVS IMPERATOR. 193.

Completam ut vidit Magnus Septimius Vrnam,
Debuerat cineres quæ tenuisse suos,
Sic ait, ò cunctis urnis felicior Vrna,
Quem capere haud Mundus jam potuit, capies.

PARIS, ET HELENA. 194.

Hic Paris, illa Helena est, cõstat de marmore uterq;
Nec rapuisse potest ille, nec ista rapi.

AD NESTOREM. 195.

Paulinam ferventer amas, &, Nestor, amaris:
Das rapiendo illi basia, dando rapis.

AD PICTOREM HELENÆ. 196.

Quidne Helenā pingis? renovas quid pellicis ora?
Trojam ussit, telas uret & illa tuas.

AD CÆSAREM. 197.

Insequeris Natos, cùm vix comprendere possis:
Vis Natos, Cæsar, perdere? perde patrem.

AD POLLIVM. 198.

Nix cadit è Cælo, nimiùm tu, Pollia, gaudes:
Dulciùs adstringes luxuriosa virum.

AD S. IGNATIVM LOYOLAM. 199.

Ignati, dicas, cur nomen præbuit Ignis?
Omnia tu pauper despicis, ille vorat:
An quia divinis velles accendere flammis
Omnia, ut arderet Relligione Fides?
An quia combures præsago nominis Igne
Cæca superstitio quotquot Idola colit?

### AD CÆCILIANVM. 200.

Mors nulli parcit, princeps sit, sive colonus,
Quique semel debet, Cæciliane, mori.

### AD LÆLIVM. 201.

Tristis Hyems abiit, rediit jucundus Aprilis;
Terra novo ridet germine, vernat ager:
Incipit æquoreis committere Navita ventis
Carbasa, & è portu solvere lora rati:
Sol radiis durumque gelu, glaciemque fugavit,
Vnda nec imposito compede pigra riget:
Carminibus lætantur aves, atque aëra mulcent,
Dum natis Progne fabricat arte casas:
Formosus Corydon ducens armenta per herbas
Phyllidis accensus pectus amore calet:
Quid fecisse juvat specioso hoc tempore, Læli?
Quod mereat plausus, dextera scribat Opus.

### AB ISTONIO DISCESSVRVS. 202.

Itsonii Tellus, valeas, Nymphæque valete,
Et Vos o Genii, Diique, Deæque loci.
Parthenopem repeto, charæque Neapolis oram,
Pausilypi colles visere Musa cupit:
Adventum expectant Sebethus, & inclyta Siren,
Promittuntque comis laurea serta meis.
Cum Cauro sileat Boreas, nec perstrepat Eurus,
Nec turbet longum Nimbus, & Imber iter:
Fulgeat insolito redimitus lumine Phæbus,
Perque vias Vatem protegat ille suum.
Si fortè incolumis videam Craterides undas,
Æole, pulchra aras imbuet Agna tuas.

### AD TIRANNVM. 203.

Quidne gelu torques Christi, Fideique cohortem
Armatus tantis, sæve Tiranne, minis?
Heroum Pietas, Zelusque, Fidesque calebit
Fervidior media, quis putet? in glacie.

AD AFRUM. 204.

Fulgebat pulchro formosus Metius ore;
Te spectet, Monstrum Metius, Afer, erit.

AD LÆLIUM. 205.

Mors duplex vili periisse è vulnere, Læli;
Vivere, neve mori dat speciosa manus.

MORS. 206.

Quemque manet quocunq;loco,vel tẽpore Lethũ;
Fit tumulus Domino diruta sæpe Domus.

AD OLLUM. 207.

An lapis,an cautes te comprimat,Olle,quid inde?
Orbe sub everso quid juvat, Olle, mori?
Corde fleo, video quod sit periisse necessum;
Quove modo peream, displicet, Olle, nihil.

AD POTITUM. 208.

Sunt tibi dicendi Veneres, lususque, Jociq;
Suntque tibi arguto mille, Potite, sales:
Nunc hunc,nunc illum lacerasque,ferisq;jocando,
Delectas verbis, & simul ore necas.

AD PETRINUM. 209.

Arma inter Mortem spernis, nec vulnera curas;
Nil tormenta putas; tela, Petrine, nihil:
Ne pereas, perimis; pede strata cadavera calcas;
Et gaudes alios, ne moriare, mori:
Haud temerè, haud timidè munitus acinace pugnas;
Quodq; tuendo facit dextera, jure facit.

AD COSMUM. 210.

Quòd tibi Sors cinxit pulchro diademate crines,
Ne tumeas; fastus comprime, Cosme, tuos:
Sors eadem rapuisse potest diadema, caputque,
Et Victore potes, Cosme, sub hoste mori.

POMPEJUS, ET CÆSAR. 211.
Pompejus, Cæsar toto cantatur in Orbe;
Hic ferro Vitam perdidit, ille caput.

AD FABIANUM. 212.
Discipulus fueras, nunc es, Fabiane, Magister:
Quotquot discebas dogmata, in Urbe doces:
Auribus,atque oculis minuit vim longaSenectus,
Displicet, optatus qui fuit ante, labor:
Divitiis ultrà poteris nil addere partis;
Sic dolor ad tumulum te feret ante diem.

AD HARPALUM. 213.
Mox abero, longas ire expedit, Harpale, in oras;
Corpus abit; tecum Mensque, Animasq;manet.

AD OMPHILUM. 214.
Papa fuit patruus,papa & tuus, Omphile, frater;
Tu semper dormis, ergò papaver eris.

AD POSTHUMUM. 215.
Cum scortis vitam consumis,Posthume,& annos;
Incipiet sceleris quando pudere tui?

AD PORCIAM. 216.
Tela mihi mittis, cupio dum, Porcia, telam;
Sint tua tela, precor; sit mea tela, rogo.

AD PATRES SOCIETATIS JESV. 217.
Quæ Pietas animis? quæ fulgurat inclyta Pallas?
Qui vobis Mos est? quive docendo Modus?
Pectore Aristoteles capitis, vel mille Platonas;
Ingenium dives, ditius eloquium:
Democritos sileat posthac annosa Vetustas;
Isocrates jactet Græcia neve suo.
Fata ubi dant sedem, doctas fundatis Athenas,
Et pravos Mores integra Vita fugat:
O species laudanda hominum,mirandaq; proles!
Vos quotquot specto, credo, putoque Deos.

AD PAULUM. 218.

Omnia, Paule, ambis; cōtemnis, & omnia eodem
Tempore; non est hìc, dic,rogo, Paule, furor?

AD QUINCTUM. 219.

Militiæ inseruis, gaude, nec, Paule, timeto
Vulnera; sunt meritis præmia certa tuis.

DE PAULA. 220.

In speculo se Paula videt, quia pulchra, calescit;
Et sentit nimias, corde dolente, faces:
Ipsa sibi est Arcus; telumque, & nobile vulnus:
Saucia ab effigie quærit, amatque mori.

NIX TEMPORE BELLORUM. 221.

Alba per aërios campos vexilla videmus,
Dum gelido è Cælo Nixque, geluque cadunt:
Sint hæc optatæ præsagia, & omina Pacis
Inter belligeros, Christiadasque Duces:
Discordes utinam veniant in fœdera Reges,
Nec Mars sanguineo turbine regna premat.
Deserat Europæ fines Bellona, nec ultrà
Conculcet segetes Miles, Equusque ferox.
In Jani templo clausus Furor improbus ore
Ingemat, & Bellum dura cathena domet:
Numina confirment quidquid de corde rogamus;
Expulsis armis, aurea sæcla fluant.

AD SALOMONEM. 222.

Quid supplex offers thuris sacra munera Idolis?
Quid colis externos cernuus ante Deos?
Quidquid habes, Salomon, seu sit Prudentia Mentis,
Seu sint divitiæ, datque,deditque Deus:
Verum ergò venerare Deum, nō marmora,& ęra;
Nil equidem cultus Numina falsa merent:
Clausus thuribulis Erebi vertetur in Ignem
Ignis, ni crimen, quod facis, ore fleas.

### AD CÆSAREM EQVITEM. 223.

Si quid erit de te, tentas cognoſcere, Cæſar;
Conſulis Ariolos, conſulis Aſtrologos:
Quæ ſunt ſcripta manu meditor præſagia ſortis,
Neſcio quid magni dextera Regis habet.

### AD JULIAM. 224.

Nigra tibi facies, oculi quoque, Julia, nigri;
Nigra manus, frons eſt nigra, nigræque genæ:
Nigreſcunt pariter nigranti in pectore mammæ;
Corde ſub ingenuo candida ſola Fides.

### AD PETRUM. 225.

Petre, Petrus fies labenti temporis ævo;
Roma ſtupet mores encomiando tuos.

### AD SEMPRONIUM. 226.

Dic, cur, Semproni, cervos in ſtemmate pingis?
An quia cervorum cornua fronte geris?

### DE QUINCTIO. 227.

Exequias fratri ſolvebat Quinctius Aulo,
Et longo ardebant ordine in Urbe faces:
Cùm febre incaluit, parvoque in tempore obivit;
Una eadem clauſit ſic brevis Urna duos.

### HERCULES. 228.

Regna per, & populos abiit, perque Oppida, & Ur-
Alcides forti Monſtra domando manu: (bes
Obſtupuit totus miracula roboris Orbis;
Quemque hominem vidit, credidit eſſe Deum.

### VIRGILII EPITAPHIUM. 229.

Mantua progenuit, fecit me Roma Poëtam, (dit:
Parthenope hunc tumulum, qui capit oſſa, de-
Poſt Mortem ut felix vivam, licèt abditus urna,
Plaude Meas Muſas, poſtque, Viator, abi.

GAS-

GASPARIS EPITAPHIUM. 230.

Hic ſignata ſuo ſtant nomine Gaſparis oſſa,
 Qui benè conſiliis rexit utrumque forum,
Incorrupta Fides, Mens integra, recta Voluntas;
 Ornarunt nimia non ſine laude Virum.
Complerat vix luſtra decem felicibus annis,
 Cùm nata eſt miſeris artubus atra febris:
Nec juvit Medicina malo, vis ulla nec Artis,
 Clauſerunt oculos ultima fata ſuos:
Urbs tota extinctum flevit, totuſque Senatus;
 Decidit è pluviis longa procella genis:
Et Fas, & Probitas unà cum Gaſpare obivit;
 Da cineri Pacis munera, &, Hoſpes, abi.

TEMPUS. 231.

Furtivo lapſu Tempus conſumit, & Ætas
 Productum toto quidquid In Orbe vides:
Pyramides, Turres, Capitolia, Templaq; & Arces
 Paulatim fient pulvis, eruntque cinis.
An credis vixiſſe diù qui corde ſuperbis?
 Deficies tandem tu quoque, eriſque nihil.

AD EUNUM. 232.

Plura Cato docuit, Plato plurima cenſuit æquè:
 Effeciſſe negas illa, ſed, Eune, probas.

AD PONTICUM. 233.

Neve moras patitur tua, Pontice, vena, nec errat:
 Currit inoffenſo Muſa jocoſa pede.

AD BYTHINNICUM. 234.

Pingere tentabat Fabium, Bythinnice, Coſmus.
 Coſmus Pictorum Gloria, & altus Honor:
Stabat in ambiguo qualis foret ore, ſed inqui,
 Vis Fabium verum pingere? pinge Aſinum.

PSITTACUS. 235.

Eſt Avis in caveis, pictis mihi diſcolor alis;
 Nil inter volucres pulchrius eſſe poteſt.

Inſpicias pennas, niſi dixeris eſſe volucrem:
Percipias vocem, dixeris eſſe hominem.

PRINCEPS. 236.

In Regnis Princeps Dux eſt, & Regula morum;
Si Princeps claudus, claudicat & populus.

ECHO. 237.

Humanas voces ſectatur, & exprimit Echo;
Quæ loqueris, loquitur; ſed tamen ore caret.

AD PRINCIPES. 238.

Subjectos quicunque regit, ſit rectus oportet;
Principis Exemplum plus movet Imperio.

ALEXANDER SUB TYRO. 239.

Heu Rex infelix! faciam quid? quidve reſolvam?
Diſcedam? an longas præſtat habere moras?
Eſt Tyrus Urbs fortis, validis circumdata muris;
Fluctibus, èque armis nobile robur habet:
Si moror, intereunt quotquot mea ſigna ſequuntur;
Si fortaſſe abeam, non niſi dicar iners.
Inſiſtam, generoſa manus nil linquet inauſum:
Vincere vel præſtat, vel periiſſe juvat.

AD EUNUM DE AUFIDIO. 240.

Diſſipit Aufidius, cùm ſit malus, Eune, pöëta;
Ore ſalem mandit, ſic ſapuiſſe putat:
O ſpecies hominis riſu digniſſima! neſcit
Quòd labor Ingenio detque, feratque ſales.

AD JULIAM. 241.

Mitto tibi volucrem, noſcas ut, Julia, in illo
Quòd ſpecies, ætas, gaudia eundo volant:
Quid tibi blandiris? quid tàm te diligis ipſam?
Mox turpis fies, Julia, pauper, anus.

MUNDUS. 242.

Mundus in anguſtum totus ſolvetur acervum:
Cur ita? Luxuriæ totus ab Igne flagrat.

DOMUS. 243.
Cum pelago colles, cum collibus inspicit Vrbem:
Chara Domus Domino est, charior hospitibus.

VOX. 244.
Nescit in Os verti postquam Vox exit ab ore;
Non casu ediscas, sed ratione loqui.

CAROLI II. EPITAPHIUM. 245.
Carolus hic situs est Regni Moderator Iberi:
Rex quondam, Mortis nunc levis Vmbra jacet:
Qualis Atlas humeris Hispanos sustulit Orbes,
Sed tandem lassus mole reliquit onus:
Bella per Europæ peperit confinia Clotho,
Præbuit ut Regi funus, & inferias:
O utinam longos donasset Juppiter annos;
Mars ubi nunc sævit, Paxque, Quiesque foret.

AD PAULINUM TYPOGRAPHUM. 246.
Scriptorum mandas prælo, Pauline, labores;
Utque diù vivant, qui periere, facis:
Illustrant homines, licèt atramenta nigrescant:
Sit quamvis fragilis cartha, perennat opus.

AD PONTICUM. 247.
Eripuit dentes tibi, Pontice, longa senectus;
Sic Veneris carnes rodere non poteris.

AD LÆLIUM. 248.
Quid me fastidis? quid spernis, pessime Læli?
Non sum fortè idem, qui tibi nuper eram?
Sors mihi subripuit, quod prodiga prębuit, aurum;
Auri ergò, novi, perfide, cultor eras.

AD AUGUSTUM CÆSAREM. 249.
Virgilio panes duplicas quid, maxime Cæsar?
An tentas Musis diminuisse famem?
Sunt hæc Pistoris potiùs quàm munera Regis,
Digna nec Augusto Principe dona facis.

Te

Te Regem monstra: Vati manus offerat aurum;
Sic fluet ad plausus aurea Vena tuos.

MAGNI VIRI EPITAPHIUM. 250.
Imperii causa perii; jaceoque sepultus,
Non ultus; Mortis Gloria, Martis Honor.

AD FLORISBAM. 251.
Est pulchrum nomen, vultus tibi pulchrior illo:
Insidet & teneris Gratia multa genis:
Advena, seu civis spectat, Florisba, fenestras,
Et gaudet saltem posse videre Domum:
Ante omnes Marius longè ditissimus unus,
Pro te se sentit nocte, dieque mori:
Spontè tibi offerret totum, quod possidet, aurum;
Si semel in thalamis dormiat ille tuis.

AD PAULUM. 252.
Temporibus totis lasciva pöemata voluis,
Et velles Musæ discere quidquid habent:
Ebibis arguto Veneris de flore venenum;
Quæ bona, fastidis; quæ mala, Paule, probas.

AD IGNATIUM RHETOREM. 253.
Luxuria efferves: nomen tibi præbuit Ignis:
Frigidus es Rhetor; Nix dedit eloquium.

AD JULIUM. 254.
Præceptis Exempla tuis sunt dissona, Juli:
Quæ facienda, doces; quæ fugienda, facis.

INFERNUS. 255.

Æternis Animas torquet cruciatibus Orcus,
Affligit miseros & fine fine Reos:
Nunc sævit glacies, nunc sævit pessimus Ignis,
Nunc sævit tenebris densa caligo suis.
Spes exire datur cæco de carcere nulli,
Æternùm durat fletus, ibique dolor.

Non

Non tot sunt pelago fluctus, & littori arenæ,
Quot pænas servant tartara, & Orcus habet:
Suppliciis caruisse suis Deus abnegat illos,
Criminibus numquam qui caruere suis.

DE TYBERIO, ET IGNATIO. 256.

Dicitur in Tyberis periisse Tyberius undis;
Augurium pænæ Nominis Vmbra fuit:
Iure igitur debet periisse Ignatius Igne;
Demonstrat Nomen quod sua Vita meret.

BELLUM. 257.

Quid Bellum? Monstrum: quid devorat? Oppida, & (Urbes.
QuidneFamem Belli concitat? Ambitio.

AD PAULINUM. 258.

Est Horti Cultor nostra, Pauline, sub Urbe,
Qui plaudit Musas, Ingeniumque meum,
Nunc mittit ficus, nunc mittit cerea poma,
Nunc mittit caules, nunc mihi mittit olus:
Misissem versus, sed non intelligit illos;
Quid mittam? ruris dulcia vina mei.

DE FABIO. 259.

Furari caules Fabius tentabat in Horto;
Nocte abiit, tacito prosiliente pede:
Decidit in puteum, periitque repentè sub undis;
Non impar meritis pænaque, Morsque fuit.

AD HARPALUM. 260.

Quotquot erant Horto, Nix, Harpale, adussit aran- (ces:
Nil aliud, Domino quod ferat, Hortus habet.

AD PORCIAM. 261.

Virginis innocuos conceptus semper adoras;
Vota offers; spargis nocte, dieque preces:
Scilicet ut retulit nuper mihi, Porcia, socrus;
Concepisse cupis; dum genuisse nequis.

AD JVSTITIARIOS. 262.

Quisquis Justitiæ lances, & pondera tractat,
Consilia exposcat corripiendo Reos:
Castigat quoties mala crimina, mentis acumen
Ne ve suum satis est, Consiliumque Jovi.

AD PONTICVM. 263.

Pharmaca præscribis, non cognita origine Morbi,
I cura pecudes, Pontice, non homines.

AD CÆCILIANVM. 264.

Luxuriæ, & febris duplex te concoquit Ignis:
Mortem urget duplex, Cæciliane, malum.

AD COSMVM PHARMACOPOLAM. 265.

Pharmaca das aliis, illis non uteris umquam:
Scis nocuisse nimis, Cosme, juvare parùm.

TEMPVS, ET MORS. 266.

Et Mors, & Tempus tabula junguntur in una;
Tempus enim Mortis dicitur esse Pater.
Tempora paulatim reffluunt, refluentibus annis,
Temporis ad fluxum labimur, & morimur.

AD PAVLVM. 267.

Quidquid habes, tandem post mortem, Paule, relinques:
Quod Fas, quod Rectũ postulat, efficias.

DEMOCRITVS, ET HERACLITVS IN EFFIGIE. 268.

Democritus ridet, propè deflet Heraclitus: Ortum
Ille, sed hic rerum cogitat Interitum.

AD OLLVM. 269.

Dormio, seu vigilo, sub mente Novissima voluo;
Ex illis disco vivere, &, Olle, mori.

AD PICTOREM PHYLLIDIS. 270.

Phyllidis effigias oculos, frontemque decoram,
Auriferos crines, purpureasque genas:

Par

Par typus Archetypo; nimiùm laudatur Imago,
Et confert plausus quique tuetur Opus:
Nobilior tamen est, & longè pulchrior extat,
Effigies, cordi quam mihi fecit Amor.

MVLIER. 271.

Quid Mulier? fomes scelerum, sentina malorum:
Dum placet, illa nocet: dum nocet, illa placet.

AVARVS. 272.

Poscit aquas pelagus, nummos exposcit Avarus:
Sed numquam novit dicere uterque satis.

AMICVS. 273.

Discolor in pluvio Cælo si fulgurat Arcus,
Turbidus expulsis nubibus, Imber abit.
Protinus absistunt metuenda tonitrua, & Ignes,
Et Sol emittit majus ab ore jubar;
Rebus in adversis si sit tibi fidus Amicus,
Mœroris nubes, tristitiamque fugat;
Risus in ore redit; redeunt & gaudia cordi;
Neve genis pluvio lumine, neve doles.

AD LÆLIVM. 274.

Te physicum jactas, nec possum credere, Læli;
Naturæ spernis provida Jura sequi.

DE FABIANO ARATORE. 275.

Semina mandabat sulcis Fabianus arator;
Transiit interea Phyllis, & arsit Amor.
Currit ad amplexus, & basia præbet Amanti;
Sic totum cecidit, quod sibi semen erat.

AD OLLVM. 276.

Ostentas barbam, sic credis plurima nosse:
Barba Capro est maior, nec tamen, Olle, sapit.

DE PORCIA. 277.

Obtulit Aprilis partum mihi Porcia, flores;
Floreat ut nostro in pectore semper Amor.

AD

AD PONTICVM. 278.

Diceris imbellis, vultu quia bellus, at errant;
Quemque feris vultu, Pontice, quemque domas.

LATRONES. 279.

Curia condigna punivit morte Latrones;
Nunc capita è muris pendula quique videt:
Pœna Reos nisi justa premat, mala crimina cre-
Commissum facinus, qui finit, ille jubet. (scunt;

ALEXANDER MAGNVS. 280.

Magnus Alexander toto celebratur in Orbe;
Nec par Dux illi, neve secundus erit.
Neptunum in pelago ratibus conterruit, idem
In terris armis contremefecit Opem.

CARTHAGO PICTA. 281.

Hæc est Carthago parvis his picta tabellis,
Olim Romanis æmula, & Hostis erat.
Marte potens Latium, nec non conterruit Vrbem;
Nunc pressisse illam sub pede quique potest.

SARDANAPALI EPITAPHIVM. 281.

Vt Porcus vixit lascivus, & ebrius idem:
Mortuus hic tumulum Sardanapalus habet.
Quisquis es, & transis, velox transito, Viator;
Pessimus è tumulo spirat, & exit odor.

DAVID DVM BERSABEAM CONSPICIT. 283.

Quæ mulier medias inter sic fulgurat Vndas?
Sol minùs Eoas emicat inter aquas:
Astra oculi, frons pulchra mihi Via lactea; mam-
Lilia nativa candiditate præunt: (mæ
Purpureas reor esse rosas speciosa labella,
E quibus epotat munera mellis Amor.
Aspicio, è gelidis veniunt incendia lymphis,
Quæ cor exurunt, excruciantque meum:

Quid

Quid faciam infelix? fuerint quę pharmaca amanti?
Hæc duo, nempè Viri Mors, & Adulterium.

AD MARIANVM. 284.

Nil, Mariane, sapis nisi morsu lædere, & ore.
Hæc Ars Authori sæpe nocere solet.

AD PONTICVM DE MATRE, ET NATO. 285.

Infamis genitrix lascivis Ignibus ardet,
Ossaque furtivo vulnere carpit Amor.
Neve cibum, potumque capit, neve improba somnum;
Insidet in miseris pallor utrinque genis:
Non audit Natus lachrymas, & Vota precantis,
Nec missas rabido curat ab ore minas:
Filius Hyppolitus mihi, Pontice, creditur alter:
Sed dici genitrix altera Phædra potest.

AD FABIANVM. 286.

Quemque feris, nulli parcis, Fabiane, per Vrbem;
Sitne meri vis hæc, nescio, sitne Jocus.
Scorpius in cauda gestatque, tegitque venenum;
Tu tamen impressum dentibus illud habes.

AD PAVLVM. 287.

Nulla vales, & nulla potes nisi, Paule, nocendo;
Os Arcus, nervus lingua, sagitta Jocus.

AD COSMVM. 288.

Divitias servas cæco sub viscere Terræ;
Neve aliis prosunt, nec tibi, Cosme, juvant.

AD NESTOREM. 289.

Vita parit Mortem, Mors dat per sæcula Vitam:
Vivere despicito, Nestor, amato mori.

AD LINVM. 290.

Cùm, Line, discurris, non es nisi scurra jocosus:
Improba lingua tua est, illa venusta tamen.

COSMVS, ET AVFIDIVS RHETORES. 291.

Cosmus, & Aufidius sunt Rhetores alter, & alter:
Ars tamen est dispar: rugit hic, ille rudit.

SCORPIVS, ET COLVBER. 292.

Scorpius, & Coluber feriuntq; feruntq; venenum;
Cauda ille interimit; dentibus iste necat.

AD POSTHVMVM. 293.

Argutos loquitur tua, Posthume, lingua lepores;
Sæpe facit fictis vulnera vera jocis.

AD AFRVM MALEDICVM. 294.

Nec sociis parcis morsu, nec parcis amicis:
Vipera, seu potiùs crederis, Afer, Aper.

AD JVLIAM. 295.

Ornatus phaleris fulget tibi, Julia, crinis,
Inque illo passim plurima gemma micat.
Quo ferias animos, telum est tibi, Julia, vertex;
Qua corda exuras, Julia, flamma coma est.

AD SABELLIVM. 296.

Barba tibi longa est, oculi sub fronte cavata,
Squallescit facies pallida facta genis;
Vncta tibi vestis, lacerataque palla, Sabelli;
Qui sis, agnosco, scilicet Hyppocrita.

DE AVITO. 297.

Cùm Nox est, peccat; cùm lux, non peccat Avitus;
Nam quod teste caret, non putat esse scelus.

DE LINO. 298.

Astra, Deos, Turres, Capitolia, Templa, Cupressus,
Cùm loquitur, tumido mittit ab ore Linus.
Verba tamen longè sua sunt contraria factis;
Fatur enim semper grandia, parva facit.

DE

DE FIGVRA SEMIVIVA,
ET SEMIMORTVA. 299.

Altera pars viva eſt,pars altera mortua in uno;
Contigua eſt Morti Vita, memento MORI.

AD POETAM. 300.

Ventris onus cecidit tua ſcripta Epigrãmata ſu-
Ne doleas, pœna eſt debita, ſtercus erant. ( pra;

BOS, ET BVBVLCVS. 301.

Beſtia bos,cecidit; ſentit ſub verbere pœnam;
Qui tamen immeritò verberat, eſt Aſinus.

AD AMICVM. 302.

Errores tua lingua parit, mea lingua revelat:
Errantis culpa eſt; Ira quid ergò calet?

AD SABELLIVM. 303.

Sunt tria,quæ perdunt homines plerumq;Sabelli;
Luxuries, auri munus, & Ambitio.

AD OLLVM. 304.

Si corpus febri caleat, morboque laboret,
Conſulis & Medicos, pharmaca &,Olle, bibis.
Vlcera tot rodunt Animam, quot crimina adhæ-
Cur non & curas, Olle, ſalutis Opem? (rent;
Ante Deum ſupplex tua peſſima crimina fleto,
Fletus erit morbo grata Medela tuo.

PVLEX CATHENATVS. 305.

Prodigium ingenii, ſunt hæc miracula & Artis:
Exiguum pulicem parva cathena domat.

AVFIDIVS DE SE. 306.

Roma mihi furnus,medio mihi purpura in Igne:
Me Panis Papam, Pontificemque facit.

AD SABELLIVM. 307.

Barba tibi nigra eſt, ſtudiis incumbe, Sabelli;
Ingenio, & cura diſcere plura potes.

AD PAVLINVM. 308.
Quotquot erant, cecidere tibi, Pauline, capilli;
Mens gravior facta est, non tamen illa levis.

AD NESTOREM. 309.
Nunc odit Phyllis, sed te dilexerat ante;
Hæc ratio est; alias, Nestor, amator amas.

PVERI NANTES. 310.
Æquoreas ludit puerorum turba per undas,
Et miscet nudo corpore mille jocos:
Nunc se sub pelago celat, nunc prosilit, & nunc
Membrorum æquato pondere tranat aquas:
Seu Vir, seu Mulier nantes de littore spectet,
Vnde Venus medio in corde calescat, habet.

AD HARPALVM. 311.
Attalicas pompas meditaris, &, Harpale, cænas:
Hoc est illustrem perdere velle Domum.

AD EVNVM. 312.
Sæpe domum mundas, frontemq; manusq; genasq;
Sed mundare Animam cur piget, Eune, tuam?

AD ATTICVM. 313.
Cælestes phaleræ, tibi sunt cælestia lora,
Spumantem calcas cùm generosus Equum:
Prodita ab Inferno sunt attamen, Attice, Vota,
Phyllida cùm spectas, & malecautus amas.

AD LYDIAM. 314.
Lydia, tu turbas animos, nostramque quietem;
Aspectus nimia nobilitate micas:
Nec curo somnos, nec curo obsonia pro te;
Fixa hæret cordi dulcis Imago tui.
Plura juvat tormenta pati, dum gaudia spero;
Ingemo, suspiro, langueo, deficio:
Sed tu crudelis flammas contemnis, & Ignes;
Horrida ceu cautes ad mea Vota riges:

In

In pænam febris faciem tibi rodat, & artus;
Sic aberit nostro è pectore Pestis Amor.

## AD PONTICVM. 315.

Aufidius geminis oculis est, Pontice, cassus;
Sed geminos oculos, Pontice, Marcus habet:
Ille pius legum callesque, viasque tuetur;
Quod Fas, quod Rectum non tamen iste videt.

## DE MARIO. 316.

Infelix Marius jam lumina perdidit ambo;
Cæca oculos fusis nubibus umbra tegit:
Cum scortis vixit, morbum contraxit ab illis;
Perque artus abiit gallica sparsa lues:
In caput ascendit longo post tempore pestis,
Læsit & hæc illi lumina, & abripuit.

## AD MARCVM DE PORCIO POETA. 317.

Porcius ex oculis vigilando perdidit unum;
Est alter lippus, Marce, parùmque videt:
Sed jactura levis; quoniam duo lumina Pallas
Abripuit, centum lumina Fama dedit.

## GELLIVS OCVLIS LACHRYMATVR. 318.

Ore bibit dulces lachrymas, & dona Lyæi;
Gellius ex oculis postea flendo vomit.

## AD PAVLVM. 319.

Candentes oculi tibi sunt, &, Paule, pupillæ;
Corde tamen nigro meque, patremque vides.

## AD BYTHINNICVM. 320.

Obliquis oculis, Bythinnice, quemque tueris;
Natura id fecit, non facit Invidia.

## AD PAVLVM. 321.

Barba, oculi, facies, crines, vestesque nigrescunt;
Nigrior est animus, Paule, tibique Fides.

AD QVINCTVM. 322.

Fronte latent oculi; nec, Quincte, videndo videntur;
Hæc est vel mentis cura, vel Invidia.

AD PONTICVM. 323.

Est longus Nasus, tibi mentula longior illo:
Est contracta tamen, Pontice; dando manus.

AD BYTHINNICVM. 324.

Aut Avus, aut genitor tuus est, Bythinnice, Nasus
Nasorum; causa hac turget, & ille tumet.

AD EVNDEM. 325.

Misisti nuper medico, Bythinnice, ficus:
O ficos, inquit, morbus in ore ferat!

AD PORCIAM. 326.

Purpureæ, pulchræque rosæ tibi tempore toto
In vultu vernant, Porcia, perque genas:
Vt condat mellis dulcissima munera, succos
Colligit ex illis mellificator Amor.

PORCIVS. 327.

Os vinum redolet, redolent & stercora vestes;
Jota aufer, Porci, è nomine, Porcus eris.

AD PAVLINVM. 328.

Nulla sapis, Pauline, tamen sapere omnia velles:
O vanum Ingenium, ridiculumque caput!

AD OLLVM. 329.

Os antrum, nasus turris, tibi sarcula dentes:
Exterres pueros, plus tamen, Olle, senes.

AD FABIANVM. 330.

Nõ penetras fundum, cùm docta volumina voluis:
Tunc penetras fundum, cùm, Fabiane, bibis.

AD OLLVM. 331.

Grammaticam nescis, incumbis &, Olle, Matheſi
Remigio alarum deficiente, volas.

AD EVNVM. 332.

Exerces medicas artes, ditaberis, Eune:
Nil eſt, quod plures reddere poſſit opes.

AD PONTICVM. 333.

Lippus es, & chirager: duplex tibi, Pontice, morbus:
Neve juvant oculos pharmaca, neve manus.

DE FABIO. 334.

Evaſit miles Fabius, fuit ante chirurgus:
Vulnera curabat, nunc tamen ille facit.

DE FABIANO. 335.

Omnia donavit pueris, teneriſque puellis:
Dives erat quondam, nunc Fabianus inops.

AD POSTHVMVM. 336.

Ad muros Vrbis vernat tibi parvulus Hortus;
Finiculos, caules, allia ſemper habet:
Cùm cæpis, cynaras, raphanos, & dulcia poma
Impertit menſæ tempore quoque tuæ;
Nec mihi mittis Olus, quod, Pontice, ſepe popoſci:
Omnia Sole Æſtas, vel nive perdat Hyems.

AD OLLVM. 337.

Abſtuleras nuper famoſo carmine honorem,
Nunc mihi reſtituis verſibus, Olle, tuis.
Sanaſti vulnus, ſed permanet, Olle, cicatrix:
Dii reddant quidquid lingua proterva meret.

DE PAVLA. 338.

Nec Romam vidit, nec vidit Paula Corinthum;
Vtrumque ad vivum ſedula pingit Opus.
Scilicet inſpexit tabulas, aliaſque figuras,
Eque illis ſpecies Menſque, Manuſque bibit.

AD SANCTI BONI PRINCIPEM ORATOREM
AD VENETAM VRBEM. 339.

I felix, Venetos populos visurus, & Vrbem,
O Princeps Regis Gloria fida tui.
Eloquio expandas, verbis refluentibus, alas;
Ingenium emineat, consiliumque tuum.
Audiat auriferum flumen, quod manat ab ore,
Et sic Te Marci discet amare Leo.
Convenit officium meritis, minus attamen illud;
Sed majus Regis dextra benigna dabit.

AD MACRINAM. 340.

Plena tibi rugis facies, coma candida, dentes
Eripuit tussis crebra, Macrina, tuos:
Os tamen exornas minio, phalerisque capillos,
Et fulges veluti pulchra puella genis:
Decipies quotquot spectas, Macrina, per Vrbem,
Me numquam; septem bis tibi lustra fluunt.

AD PONTICVM. 341.

Pauperiem simulas; gemmas abscondis, & aurum;
Argentique gravis pondera servat ager:
Lumina mox Clotho tua, Pontice, claudet, eritque
Vtile neve aliis, nec tibi, quidquid habes.

DE MATRE, PATRE, ET FILIABVS. 342.

Tres Charites Natæ, Venus est pulcherrima Mater,
Vulcanus genitor, claudicat ille genu.

EVCHARISTIA. 343.

Flecte genu, Cælique humilis mysteria adora;
Exigui latitat panis in Orbe Deus:
In pomo mortem reperit miserandus Adamus;
Sed Vitam, panem hunc qui benè gustat, habet.

AD NESTOREM. 344.

Lingua tibi parva est, fiet tibi maxima, quando
Pendulus è triplici stipite, Nestor, eris.

DE

DE ALANO. 345.
Qui medicus fuerat, nunc est mendicus Alanus;
Omnia pellicibus dextra profusa dedit.

DE FABIO. 346.
Romulea Fabius reditum faciebat ab Vrbe,
Interea magnis perstrepit Imber aquis:
Ille domum subiit vili de stramine factam,
Vt miser immodico tutus ab Imbre foret.
Hìc scintilla cadens incendia miscuit, & sic
Præda fuit flammis Hospes, & Hospitium.

DE SPECVLO AD OLLIVM. 347.
Conspicis in speculo quidquid proponitur, Olli;
Luminibus reddit qualiacunque tuis:
Semper idem, nullo discrimine; semper & equum
Exprimit in cunctis cuncta tuendo locis.
Justitiæ certè speculum verissima Imago,
Indicat effigiem cuique videndo suam.

AD PONTICVM. 348.
Convivis dat mensa nihil nisi, Pontice, pisces,
Condivit varia quos tamen arte Coquus;
Gustamus mugiles, gustamus, Pontice, rhombos,
Et quidquid medio in gurgite Pontus habet.
Sed mutos pisces inter vix Musa tacebit
Humanos Mores, Ingenuosque tuos.

TEMPVS. 349.
Nascitur, & moritur; jungit cum funere cunas
Tempus, & interitu vivit, obitque suo:
Pingitur ore senex, tergo qui sublinet alas,
Clepsydra cum refluo pulvere statque manu:
Nimirum tua Vita volat, dum præterit ætas;
Pulvis es, exiguo in tempore pulvis eris.

AD FABIANVM. 350.
Bifrontis fluxisse dies, & tempora Jani
Incipiunt; medio laurus in Igne strepat:

 Dent

Dent tibi felices felicibus orbibus annos
Numina, quos longo ſtamine Parca trahat.
Funera neve premant, nec te, Fabiane, dolores:
Sint procul è tota triſtia ſigna domo.
Promittit fauſtas Jani tibi Muſa kalendas,
Dii faciant quidquid noſtra Thalia rogat.

AVLI DOMVS. 351.

Conſpicuam, pulchramq;Domũ ſibi condidit Au-
Nec par, nec tota major in Vrbe fuit. (lus;
Contexta ex auro fulgent Aulæa per ædes,
Quæ Phrygiæ pinxit, vel Babylonis acus:
Irradiat paſſim faſtu miranda ſupellex,
Attalicæ cedunt cui reverentèr opes:
Effigies, Fontes, Horti, Simulachra, Columnæ
Attonitos oculos alliciendo beant.
Hoc monſtrant in fronteFores cum carmineLem-
Nec Nero, nec Cæſar par ſibi fecit Opus. (ma;

AD PAVLVM. 352.

Sexcentos riſus, ſexcentos, Paule, cachinnos,
Crede, meres; ſtultum eſt, inſipidumque caput.
Bis quatuor tibi luſtra fluunt, & barba ſeneſcit;
Sed tamen Infantis ſunt tibi, Paule, Joci.

AD POSTHVMVM. 353.

Exiguos obulos tua dextera præbet egenis,
Quaque hora, ſemper prodiga, quaque die:
Sic non diminuis, cumulas tibi, Poſthume, cenſus;
Pro cælo quiſquis donat, adauget opes.

MORS. 354.

Lux lucem expellit; tandem claudemur in urna;
Nemo poteſt Mortis continuiſſe gradum.

AD BYTHINNICVM. 355.

Servus eras quondam, nunc es, Bythinnice, liber;
Rurſus, ni fugias crimina, ſervus eris.

DE

DE PAVLA. 356.

Baſia Paula cupit teneris mordacia labris;
Non calet, illa ardet; non amat illa, furit.

CLEMENTI XI. PONTIFICI
OPT. MAX.

VIRTVTUM DIGNISSIMO TVTELARI,
ET SCIENTIARVM PRÆSTAN-
TISSIMO PATRONO. 357.

O Caput Ecchleſię, primum Decus Vrbis, & Orbis,
Cui Petrus ceſſit Jura, deditque vices:
Vive, nec erumpat felicia ſtamina Clotho,
Protrahat æternos Parca benignà dies;
Roma tibi exoptat longævi Neſtoris annos;
Tybris, ut enumeres ſæcula longa, rogat.
Juſtitiæ tractas æquato pondere lances;
Juſtius in toto credimus Orbe nihil.
Debita Virtuti præſcribis præmia, pænas
Criminibus; pravos plectis, amaſque bonos.
Dum regnas, regnat Pietas, Clementia. Honeſtas,
Et Mentis profert inclyta Pallas opes:
Parva hæc accipias pacato carmina vultu,
Nec ſpernas quidquid corde calente, damus.
Auguſto placuere Joci, Muſæque Leoni,
Sic animo placeant Carmina noſtra tuo.

AD REGEM CHRISTIANISSIMVM;

DVM EI NOVVS ADNASCITVR
PRONEPOS. 358.

Et Venus, & Pallas; Mavors, & pronuba Juno
Inſolitos geminant quid ſuper aſtra jocos?
Quid cantu Vranie? cythara quid fervet Apollo?
Quid tantum gaudet cætera turba Deûm?
Excepit, Ludovice, nepos de conjuge prolem,
Regaliſque auxit ſpemque, Jubarque Domus.
Inſpice vivaces oculos, frontemque, manuſque,
Infantem Martis dixeris eſſe genus.

O quales referet devictò ex Hoste triumphos,
Cùm pinget vernas prima lanugo genas.
Post domito populo, patriis dominabitur astris,
Sub pedibus stabunt Fata subacta suis.
Diique, Deæque hilares noscuntq; videntq; futu-
Inter Cælorum Numina Numen erit. (rum;

DE FABIANO. 359.

Basia dat pueris, teneris non illa puellis:
Demonstrat vitium, quod Fabianus habet.

AD MICHAELEM MILITIÆ DVCEM. 360.

Vndique sanguinei caleant certamina Martis,
Et fusus sanguis fluminis instar eat:
Intumeat sævæ metuenda potentia Lunæ,
Et turbet nostram, Marte fremente, Fidem.
Exacuat gladios, crudelis, & Anglia ferrum;
Terreat Italiam sanguinolenta cohors.
Tu, Michaël, tantos ausus, hostesque domabis,
Et tua præclaros Gloria vincet Avos.

AD CÆSAREM. 361.

Romanas Arces quæras, capitolia & Vrbis,
Cæsar, conspicuæ Nobilitatis Honor,
Danubii fines, nec poscas arua Viennæ,
Nec tentes magni Cæsaris ire Domum;
Mox patruus Petri fiet successor, & hæres;
Nam Petri claves substinuisse meret.
Ecchlesiæ Dux clarus eris, fulgebis in armis;
Addideris Fidei, quod cupit illa, jubar.

AD PONTICVM. 362.

Vxorem genitor spondet, tu, Pontice, spernis:
Crux conjux chari conjugis esse solet.

DOMVS CÆSARIS. 363.

Hæc Heroë domus digna est, & Rege supellex:
Attamen est magno Cæsare visa minor.

DE

DE SE. 364.

Nox quoties properat tenebris circumdata, & umbris,
Carminibus resonat Cæsaris Aula meis.
Sic plus Ingenii nocturno in tempore fulget
Lumen, & irradiat Musa jocosa magis:
Noctua sæpe volat, cùm fervet carmine Cycnus;
Cùm cecidit Phæbus, tangit Apollo Lyram.
Cynthia sæpe audit Vatem formosa canentem.
Et cor ad chordas fervet, & intus amat.
Vnum dumtaxat me diligit illa Poëtam,
Nec cupit Infelix Endimyona suum.

AD AMICVM. 365.

Sævit Hyems, munus tibi thermoclinia mitto;
E' lecto facient frigus abire procul.

DE EQVITE. 366.

Pellicis indignum tectum, thalamosque subivit
Nobilis illustri è sanguine natus Eques;
Fulgentem vestem voluit pro munere scortum;
Nudus Eques, nudo corpore, nudus abit.
O pudor! O facinus! Sed nil tristetur Amator;
Nam pellex pellem vel rapuisse solet.

DE PHYLLIDE. 367.

Auriga interiit, biga currente per Vrbem;
Sed luget Phyllis, mœstaque fronte gemit;
Nec tamen illa gemat; descendet ab axe Cupido,
Et celeres bigas Phyllidis ille reget.

AD MARCHIONEM. 368.

O salve Aonidum lumen, lux inclyta Vatum,
Cui Turris titulum, Jusque, Laremque dedit;
Gaude animo, quoniam fulgemus versibus ambo,
Nectare & aspersum carmen utrique fluit;
Hetruscas undas potas, ego poto latinas;
Arnus te Vatem, me facit esse Tybris.
Accipiat charum tua me tutela Clientem,
Atque patrociniis auxiliare, rogo.

Plenior erumpet phæbeo è fonte Camæna;
Fiet & ad plausus grandior illa tuos.

AD MALEDICOS. 369.
Exiles nugas quid carpis, Zoile, morsu?
Quid laceras versus, perfide Mome, meos?
Invidiam sentis forsan, quia perlegit illos
Parthenope, plaudit Roma, Vienna legit?

AD LÆLIVM. 370.
Humanos Fastus, & pompas effuge, Læli;
Exteriùs recreant, fel tamen intùs habent.

AD PONTICVM. 371.
Dum Mars Europam ferroque, armisque flagellat,
Pontice, mandamus carmina nostra Typis:
In promptu ratio est; Phæbus, nec Pallas inermis:
Hæc hastam tractat, tela sed ille gerit.

DE PAVLA. 372.
Paula virum quærit, cùm sit pauperrima in Vrbe;
Qui thalami jungat fædera, nullus erit.

AD PONTICVM. 373.
Post potum ructat Fabius, sed, Pontice, versus:
Si plaudis versus, quos facit ille, furis.

DE MARIO. 374.
Dum Marius timidos lepores agitabat, & Apros
Per medias sylvas, terrificumque nemus,
Exiit horribili Montis de viscere Tigris,
Et Miserum sævo protinùs ore ferit:
Sic qui Prædator fuerat quam sæpe ferarum,
Occidit infelix præda cruenta feræ.

AD HARPALVM. 375.
Prælia dum fervent, committo Epigrammata prelo,
Harpale; nec nostrum carmen inerme puta.
Quotquot sunt apices, sunt spicula acuta libello;
Qui beat Ingenium, dum ferit Invidiam.

AD

AD VRBANVM. 376.

Diceris Vrbanus, sine re tibi nomen adhæret:
O quantum incultæ Rusticitatis habes!

AD CAROLVM TROYSE TYPOGRAPHVM. 377.

Hic ubi Neptuni demonstrat dextra tridentem,
Et vitreas pleno gurgite mittit aquas,
Carole, habes certam sedem, tectumq; domumq;
Imprimis, & vendis Bibliopola libros,
Vt vidi, ut volui prælo committere nugas,
Et mandare typis carmina nostra tuis.
Æquoreis dominatur aquis Neptunus, ab illis
Concepit lepidos Musa jocosa sales.

S. DOMINICI EFFIGIES, 378.

Hæc est Gusmani Herois cælestis Imago,
E' Cælo in terras lapsa, colenda nimis;
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
Par Typus Archetypo est; ferto, datoq; preces;
Quæ supplex exposcis, habes; nil abnegat ulli;
Æthereas semper dextra ministrat opes:
Corpore ab humano pellit genus omne malorũ;
Aspectus nostræ certa medela luis.
Vmbra Petri quondam miseros curabat, & ægros;
Nunc hæc & Morbos curat, & Vmbra fugat.

AD EVNVM. 379.

Divitias, aurumque parit labor, Eune; labora;
Pauperiem pariunt otia, & illa Famem.

VIRGILII IMAGO. 380.

Hæc est Effigies magni, doctique Maronis,
Cui viridis circum tempora laurus abit.
Pascua, rura, Duces cecinit, nec doctior ullus:
Divinum Ingenium dicere jure potes:
Magnificus stylus est, augustum carmen, & illud
Arte madet; dictis florida Musa fluit.

Crudelis Clotho, cur non tua dextra pepercit
Illi, qui Vatum Norma futurus erat?

DE FABIO.
Mæstus erat Fabius, tristique dolore gravatus,
Stabat & in vultu multa caligo suo:
Vt vidit Phrynem, mutavit in ore colorem;
Inque genis subitæ prosiluere rosæ.
Fæmineos mores prompsit, lepidosque loquendi
Arte modos: vernat Risus, eique Jocus.
Sic Fabium poteras rigidum dixisse Catonem,
Nescio quid mollis nunc Ganymedis habet.

REGINA HISPANIARVM EMORTVA. 382.
Cinxerat Hispani Regni diademate crines
Hæc, quæ nunc parvus pulvis, & umbra jacet:
Quò sua Majestas abiit? quò frontis honores?
Quò lepor, & Risus? quòve jocosa Venus?
Fastus ubi nunc est, ubi nunc famulatus, & Aulæ?
Sunt Comites vermes, fastus, honorque Cinis.
Discite, Mortales; tandem Mors edomat omnes:
Supremas Dominas vel fera Parca necat.

AD POSTHVMVM. 383.
Si pingis, bonus es; bonus es, si, Posthume, cantas:
Si loqueris, linguæ diceris esse malæ.

AD AVRELIVM. 384.
Dives es, Aureli, nec ditior ullus in Vrbe:
Vt parcas nummis, te premit atra Fames.

AD FABIANVM. 385.
Quid de divitiis tantum, Fabiane, superbis?
Hæredis fient mox, Fabiane, tui.

DE JULIA. 386.
Ornavit phaleris crines, & Julia gemmis;
Ex nuribus credit non habuisse parem.
O mi-

O miseros fastus, vanasque in vertice pompas!
O plenum vento, ridiculumque caput!

AD EVNVM. 387

Vt felix possis Vitam consumere, & Annos;
Sis memor, Eune, animæ: sis memor, Eune, Dei.

AD LÆLIVM. 388

Medicis nimio Baccho, vinoque furentem,
Mentitur verbis lingua proterva suis:
Qui friget gelidis membris, & corpore, Læli,
Non furit ille mero, qui calet, ille furit.

AD NOSTRVM DIGNISSIMVM PROREGEM. 389

Vndique terrificant populos crudelia Martis
Fulmina, & armigeræ, belligeræque faces;
Interea Baccho fontes, Cererique sacrasti
Pyramides, lætis plausibus, ante Domum.
Quique sibi, quodcunq; libet, capit, abripit, aufert
Vt signum sonitu buccina fausta dedit.
Bella famem pariunt, sed tu dignissime Princeps
E' populo expellis, Marte fremente, Famem.

AD BYTHINNICVM DE FABIO. 390

Pauper erat Fabius, nunc est, Bythinnice, dives:
Thesaurum casu sorsque, ligoque dedit.

AD AVCTVM. 391

Conspicuam, pulchramque domũ, villamq; locasti;
Quinctilis pretium, quod petis inde, dabit.
Sic certum, firmumque putas; sed falleris, Aucte;
Conductor miser est, cessit & ille bonis.

DE JVLIA. 392

Est formosa genis, speciosa & Julia vultu;
Sed tamen insipida est, neve loquendo sapit.

AD NESTOREM. 393.

In Caula Pastor fueras, nunc Pistor in Aula,
Omnibus Ingenio, Nestor, & Arte places.

AD BYTHINNICVM DE ALANO. 394.

Omnia dilapidat lautis, Bythinnice, cœnis,
Et dat pellicibus quidquid Alanus habet.
Vel nullus, vel parvus erit pro funere sumptus;
Par Cræso vivit, mortuus Irus erit.

AD OLLVM. 395.

Ludimus, & bibimus; ridemus, & Olle, jocamur;
Sic miseri tacitè currimus ad tumulum.

AD PAVLVM. 396.

Gibosa est conjux; gibosus, Paule, maritus;
Gibosos Natos quis fore Paule, neget?

AD SABELLIVM. 397.

Quòd Reges vixere monent simulachra, Sabelli;
Antiquitas claris & docet Historiis.

AD PONTICVM. 398.

Ingenium parvum, parva est tibi, Pontice, Virtus;
Mentula sola tibi, Pontice, magna tumet.

DE CAPITE, ET SANGVINE
DIVI JANVARII. 399.

Hoc Caput, hic Sanguis duo sunt miracula in Vr-
Neve Orbis majus, quod tueatur, habet. (be,
Oppositus Capiti diverso tempore Sanguis
Obriget, ebullit, fervet, & ille gelat.
Cùm fervet, supplex populus fausta omina ado-
Cùm gelat, augurium triste timendo colit. (rat;

AD PONTICVM. 400.

Horrida tempestas fluctus iam pulsat, & undas,
Æquoreasque niger commovet imber aquas;
Au-

Audebis pelago te credere, Pontice, & Euro?
E' portu solves vela, levemque ratem?
Commotos fluctus sulcare hoc tempore noli,
Naufragium spondet Pontus, & unda parat.

### AD BYTHINNICVM. 401.

Præmia Virtutes augent, Bythinnice, & Artes,
Census & Ingenii lumina dives alit.
Præda dedisse solet validos pugnantibus ausus;
Accenditque inter prælia præda Duces;
Agricolæ in campis pro dulci messe laborant,
Et mandant sulcis semina jacta solo:
Pro lucro expandit sua carbasa Navita ventis,
Et sulcat monstris æquora facta suis.
Accedant Musis sua præmia, ad æthera surgunt,
Et scribendo æquant grande Maronis Opus.

### DIVI JANVARIJ OBELISCVS. 402.

Hic ubi marmoreus vacuas Obeliscus in auras
Surgit, & æthereum tollit ad astra Caput,
Faustus habet festum quovis Januarius anno,
Datque Vrbs Patrono Vota, precesque suo:
Vnisono fervet felix Symphonia cantu,
Fundit & argutum, voce fremente, melos:
Confluit immixtus populo spectabilis Ordo
Nobilium, geminat gaudia lætus Eques.
Sic Bellum è regno expellit, Pestemq; Famemque
Martyr, & è populo cætera Monstra fugat.

### OVIDIVS PICTVS. 403.

Hic est Sulmonis celeberrima Gloria, & Orbis,
Naso pöetarum divitiosus Honor;
Ingenium vivax, fœcundum Carmen, & illi
Aurea dicendi Vena, vigorque fuit;
Plurima composuit multo dignissima plausu,
In quibus Authoris Fama perennis erit.
Hostis Amor Musis, artem cùm scripsit amandi;
Incurrit jussu Cæsaris exilium.

Extra Vrbem infelix reperit fatale sepulchrum;
Extrà Orbem cuique è lumine fletus abit.

AD MARCVM. 404.

Perfide, quid maculas alieno sanguine dextram?
Quid Vitæ infigis vulnera, ibique necem?
Vaginæ gladiumque infer, ferrumque, rogamus;
Quique alios perimit, Marce, peremptus obit.

AD LINVM. 405.

Exulat è Cælo quisquis, Line, vivit in Orbe;
Nam Cælum nostra est Patria, nostra Domus.
Mens votis, curisque suis assurgat in altum,
Cogitet æthereum nocte, dieque Deum.

AD PAVLVM. 406.

Omnia fastidis; grata est tibi, Paule, Poësis;
Phœbeis chordis corda trahendo beat.

SOLVS BONVS FELIX. 407.

Esse cupis felix? vita sine crimine vivas:
Quemq; hominem miserū Vita proterva facit.

AD BYTHINNICVM DE QVINCTO. 408.

Luxuriæ, stuprisque inhiat, Bythinnice, Quinctus;
Felicem in vitiis se putat ille suis.

VESVVIVS. 409.

Æstuat accensus flammis quàm sæpe Vesevus,
Et rabidas rabidus vibrat ad astra faces:
Cum facibus commixta ruunt fumantia saxa,
Quæ perdunt agros, finitimasque domos:
Illachrymant miseri Agricolæ, lugentq; Coloni,
Nec possunt gemitus continuisse suos:
Flamma necat vites, cinis Igneus omnia adurit,
Et fata per campos semicremata jacent:
Quis Monstrum domuisse potest? Januarius unus,
Hic reprimit vires, sæve Veseve, tuas.

AD

AD CÆCILIANVM. 410.

Vidisti Venetas Vrbes, & mœnia Romæ,
Vidisti bavaras barbaricasque nurus;
Vidisti hispanos populos, pulchramq; Viennam,
Belligeros Thraces, Mæoticosque sinus:
Vidisti toto quidquid spectabile in Orbe,
Nec supererit, oculis, quod tueare tuis.
Ipse nec Alcides tantum telluris obivit;
Nec tot calcavit regna, nec ille vias;
Ire aliò nescis; sed cùm sis improbus, ito
In pravam, inque malam, Cæciliane, Crucem.

AD NESTOREM. 411.

Vnus erat quondam, duo sunt nunc, Nestor, Amores;
Nimirum nati è Phyllide filioli.

AD PIVM VIRVM TEMPORE PESTIS. 412.

Et Crux, & Pyxis charis junguntur in ulnis,
Dum miseris ægris das generosus Opem.
Sed Crux fit pheretrũ, tumulus fit parvula Pyxis,
Inter defunctos, Morte premente cadis;
Nec doleas, quoniam Cælum tibi debita Merces;
Æternam Vitam Mors tibi morte parit.

AD PONTICVM. 413.

Barba tibi prolixa cadit de, Pontice, mento;
Hispidius nihil est, horridiusque nihil.
Hinc te fastidit pellex, fastidit & uxor;
Anteà quæque dedit basia Gnata negat.

AD LECTOREM. 414.

Quisquis es, accedas, convivia lauta paravi,
Dulcia sunt animo, non tamen illa gulæ;
Non hìc servescunt fumantia dona Lyæi,
Quæ Mentem obcæcant, Luxuriemque fovent;
Non hìc pulchra Ceres, non hìc Pomona superbit,
Neve dapes ventri præparat arte Coquus:

Ebrie-

Ebrietas malesana foret, jucunda gulosis,
  Non tamen argutum, nec sapientis Opus:
Fercula sunt veterum pretiosa volumina Vatū,
  Quæ pascunt animos, erudiuntque tuos:
Pro Cerere hic Pallas, pro Baccho fervet Apollo;
  Proque meri potu Castalis unda fluit:
Gusta escas, evolve jocos, & carmina plaude;
  Authorem nimia laude sub astra feras:
Consilia è teneris potaveris aurea carthis;
  Dogmata, quæ fuerint utiliora, docent.
Dissiperet nè fortè aliquid, dulcissime Lector;
  Addidit argutos nostra Thalia sales.

## AD LÆLIVM. 415.

Rhetora te laudat populus, celebratque Pöëtam;
  Eloquio insignem, carminibusque facit.
Sed miror, Læli; quoniam nec grammata noscis;
  Lingua tibi rudis est; apta nec illa loquī.

## AVTHORIS VOTVM. 416.

Non ego Principibus solium, nec Regibus Aulam
  Invideo; gemmas nec tibi, Cræse, tuas;
Possideant alii felicia prædia censu,
  Et quæ consurgunt vertice ad astra, Domos:
Fulgescant aliis argento scrinia, & auro;
  Contineat totum nobilis Arca Tagum.
Quadrigas alii jactent, bigasque superbas,
  Indolis aut acres nobilioris Equos;
Hæc ego despicio, fumus sunt omnia, & umbra,
  Vt ventus tacitè præteriisse solent.
Munera Fortunæ, non sunt Virtutis; & illa
  Aut sors, aut casus diripuisse potest.
Elatas Arces labentia fulmina perdunt;
  Interit accensis Ignibus usta seges:
Aut Sica, aut Febris tibi diripit atra salutem;
  Aut Furtum, aut aurum sæva Rapina rapit.
Thesauros animi quæro, gemmasque perennes,
  Pallidis ingenuas, sivè Pöësis Opes.

Has

Has nec flamma mihi rapiet, nec dextera fortis;
Post cineres aliqua ex parte superstes ero.

AD RVFINAM. 417.

Quid juvat & gemmis distinguere, & arte capillos,
Pingere & ignitas, pulchra Rufina, genas?
Te fecit Natura omnes præcedere vultu;
Ornatu, & minio deficiente, places.

MARE. 418.

Oceanus Monstrum, quo vix crudelius ullum;
Omnia inexhausto gurgite, & ore vorat:
Nunc furit, æquoreas ventis agitantibus undas,
Et pulsat motu saxa, fremente salo.
Nunc tumet, & tumidos tollit super æthera flu-
Vndarumque altis montibus astra ferit: (ctus,
Nunc inter fluctus terram demonstrat, & imum;
Et miseris Nautis tartara regna patent;
Nunc quatit ad sævos scopulos Navigia, & illis
Naufragium fractis, interitumque parit.
Nunc Vrbes, & Regna vorat, populosq;, Domosq;,
Et quidquid propiùs spectat, & ille videt.
Omnia, quotquot eunt, labentia flumina potat,
Et robur, validum quod fuit, auget aquis.
Aut illi ex calybe, aut duro de marmore pectus,
Qui Maris edocuit puppe secare vias.
Nam quantum distat pelagi tua Navis ab undis,
A tergo distat Mors inopina tuo.

AMORIS, ET VENERIS SIMVLACHRA. 419.

Hic Amor, illa Venus, gelido de marmore cõstant;
Sed quamvis gelido è marmore, corda cremant.

AD PAVLVM. 420.

Temperat Aufidius, cùm potat, Paule, falernum;
Exiguos obulos parva Crumena capit.

VINUM. 421.

Inventum Bacchi vinum est, Donumque Lyæi,
Quod tibi sæpe nocet, quod tibi sæpe juvat.
Si Modus in cyathis, fuerit Medicina bibenti;
Si lex potanti nulla, venena dabit.
Ingenii vires, & robur corporis auget,
O quoties homini cornua sæva dedit!
Quod lac est pueris, senibus sunt pocula Bacchi,
Nascitur inde calor, profluit inde vigor:
Si Vinum desit, frigescunt prandia, & algent;
Fercula convivis nec placuere tuis.
Massica potores cantant, & dulce falernum,
Aut de Campano quod tibi venit agro;
Carminibus celebres faciunt bona Vina Marones;
Musa tepet, Vati deficiente Mero.
In vino verum positum est, proverbia dicunt;
Neve illud possum credere, neve putes:
Namq; docent semper mendacia. quotq; revoluis
Aonidum versus, Mæonidumque legis.

AD RUFINAM. 422.

Quinque mihi mittis, formosa Rufina, Columbas;
Quinque tibi vini mitto, Rufina, cados:
Prendendo accipiam, quem tu potando, vigorem;
Et sic fervebit nostra, Rufina, Venus.

AD OLLUM. 423.

Illustris non es, vis attamen, Olle, putari:
Sed mihi, qui fueras antè, bubulcus eris.

AD PONTICUM. 424.

In Cælis Pater est posthac mihi, Pontice; obivit
In terris charus qui fuit ante Pater.

AD OLLUM. 425.

Plurima cùm recites, nulla est sapientia in illis:
Non Rhetor dici, sed potes, Olle, loquax.

AD PORCIAM. 426.

Si specto eloquium, fueris ditissima verbis:
Si specto Ingenium, Porcia, pauper eris.

AD LINVM. 427.

Rhetora te fingis, te fingis & esse Pöëtam:
Verba Asinum monstrant te, Line; Vita suem.

AD EVNVM. 428.

Cùm vinum epotas, sapientior, Eune, videris:
Sic sapis in cyatho; non sapis in Codice.

AD PAVLVM. 429.

Legibus, atque armis populi benè, Paule, reguntur:
Arma Hostes, Leges crimina, Paule, domant.

AD CYNTHIAM. 430.

In terris fulges, ceu fulget Cynthia Cælo;
Candida frons, oculi, membra, manusque, genæ.
Plena tamen celat sua cornua Cynthia; sed tu
Cornua demonstras plena, sinuque tumens.

DE NESTORE. 431.

In sylvas abiit Nestor, Marione perempto;
Vitavit laqueum, vel Reus exilium.
Sed nunc Carcer habet, rediit quia Nestor in Vrbem;
Tutior in latebris, si latuisset, erat.

DE TVLLIA, ET PVBLIO. 432.

Tullia torquebat pendentia stamina fuso
Ante suæ primæ limina prima Domus:
Publius accedens quid agis? mea Tullia, dixit;
Subdidit illa, tibi molior hic laqueum.

DE VOLVMNIA. 433.

Et dolet, & quæritur lipposa Volumnia semper,
Nec pluvios oculos temperat à lachrymis;
Hispanas acies conjux, & castra petivit,
Atque obiit, veluti rettulit Aufidius.

Quid

Quid faciet miseranda uxor? nec redditus illi,
Nec quæstus; circùm pignora quinque gemunt.
Mendicabit opem vultu plorante per Vrbem;
Pauperies fiet census, eique lucrum.

## AD LVTHERVM, ET CALVINVM. 434.

Calvus eras, Calvine; lutum, Luthere, gerebas,
Catholicam quandò læsit uterque Fidem;
Te, Calvine, potest levius nihil esse per Orbem;
Te, Luthere, potest spurcius esse nihil.

## AD MARCUM. 435.

Vendisti testas fuerant tibi quotquot in Horto;
Vitam alii vendent, Marce, caputque tuum.

## AD CRISPUM. 436.

Divitiæ quid sint, vis noscere, Crispe? venenum;
Alliciendo nocent, inficiendo necant.

## AD QUINCTUM. 437.

Chara tibi est Phyllis; pro Phyllide, Quincte, cale-
Phyllida cōtemnas, Quincte; venenat Amor. (scis;

## AD CRISPUM SALUSTIUM. 438.

Nutrit Honor Musas, & carmina, Crispe Salusti;
Ingenium plausus sollicitando colit.
Qui rudis est, recitet coramque, palamque theatro,
Protinus argutus fiet, & arte bonus.

## AD AULUM. 439.

Hærentem lateri primo sortimur ab ortu
Custodem, Comitem, perpetuumque Ducem;
Naturam inspicias, non est nisi Spiritus: idem
Angelus, inspicias si tamen officium.
Quemque suus, mandante Deo, nos, Aule, gubernat;
Protegit auxiliis, consiliisque regit:
Quanta Anima est, quātiq; valet, cognoscito ab uno
Angelus est Custos, Tutor, eique Comes. (hoc;

AD

AD OLLUM. 440.

Profluit, Olle, tibi verborum flumen ab ore;
 Incipis, & numquam desinis, Olle, loqui:
An te propterea sapientem dicere possum?
 Nequaquam; novit qui siluisse, sapit.

AD POSTHUMUM. 441.

Allia cum cæpis hortus tibi, Posthume, servat:
 Vel Fossor genitor, vel tibi arator erat.

AD EUNUM. 442.

Pulchra tibi domus est; tibi pulchrior, Eune, supel-
 Vita tamen turpis, turpius Ingenium. (lex;

AD HARPALUM. 443.

Arte tibi vultum colis, Harpale, & arte capillos:
 Luxuriem cultu sollicitante foves.

DE PAVLINO. 444.

Antiquos Paulinus Avos in imagine servat:
 Fama Fames; umbra est Gloria, fumus Honor.

AD CUSPIUM. 445.

Scripsisti varios Codices, doctissime Cuspi;
 Qui Virtute nimis, consilioque madent:
Grande Bonum Mentis Sapientia, cætera pulvis;
 Omnia prætereunt; Nomen, Honorque manent:
Cæsareas Statuas, Simulachra ex ære, Colossos
 Corrodit lapsu quæque fluendo dies:
Virtutum monumenta tamen per secula vivent,
 Nec possunt dentes Temporis illa pati.

AD VALERIUM. 446.

Argutos versus recitas, & metra, Valeri;
 Ingenium laudat quique pöeta tuum:
Nec volo quæ recitas, nec plaudere carmina pos-
 Collecta ex aliis Vatibus illa rapis. (sum:

AD PUBLIUM. 447.

Obſcuras Satyris mordax mea carmina, Publi;
Et carpis quotquot metra Libellus habet:
Nec doleo; illuſtras potiùs per ſæcula verſus;
Illuſtrat Solis ceu magis Vmbra jubar.

AD BYTHINNICUM. 448.

Si quæris nummos, noctùque, diùque labora;
Divitias minuunt otia lenta tuas:
Qui dicit panem, dicit, Bythinnice, pœnam;
Pauperiem Mentis cura, laborque fugat.

AD MAXIMUM. 449.

Quemque manet ſuprema dies, & triſte ſepulchrũ;
Quidne tumes? terra es, Maxime, eriſque nihil.

AD OLLUM. 450.

Actorum cauſas agitas, & Jura Reorum,
Lancibus æquatis dando cuique ſuum:
Prætextas, claraſque togas & quæris, & ambis,
Majori ut radiet luce vetuſta Domus.
Quod cupis, & ſpondet tibi Curia, &, Olle, Senatus;
Hic Mores laudat, plaudit & illa tuos.

ELEMENTA. 451.

Unda, Aër, Tellus, Ignis fundamina rerum:
Ex illis conſtat quidquid ubique vides:
In nobis eadem ſemper contraria pugnant,
Et faciunt certo tempore quemque mori.
Inferias nemo ſperet vitare per Orbem;
Fatales Hoſtes quilibet intùs habet.

AD BYTHINNICUM. 452.

Conſul erat Fabius; Quæſtor, Bythinnice, Quinctus;
Nunc mendicus opem factus uterque rogat.
Fortunæ poſthac diſcas confidere numquam;
Eſſe poteſt pauper qui modò dives erat.

### CASUS, ET FORTUNA. 453.

Fortuna, & Casus duo Numina cæca putantur;
Sæpe benigna malis, sæpe maligna bonis.

### AD FRANCISCVM SPINELLI. 454.

A teneris annis scripsi quæ carmina voluis,
FRANCISCE, in tenebris mersa fuere diù:
Mæcenas deerat, qui me defenderet, atque
Protegeret Musas, Ingeniumque meum.
Nunc prælo tribui, tua dextera præbeat aurum,
Porrigat argenti munera larga Typis;
Frigescit, vel vena latet neglecta sub umbris,
Pauperies Vates cùm malèsana premit.
Virgilium fecit non Ars, sed Cæsaris aura,
Et Mæcenatis prodiga sæpe manus:
Musarum Tu sis igitur Defensor, & Ægis;
Fac timeam Invidiæ sæva venena nihil.
Obiiciat Livor tenebras si fortè, vel umbras;
Illustra titulis carmina nostra tuis.
Herois claros animos sub pectore claudis,
Vt superes Hostes fortis, & aptus eris.
E' Spinis, FRANCISCE, tuis Rosa plurima surgat,
Et faciat Musis fulgida serta meis.

### AVRORA. 455.

Mane rubet primo conjux Tithonia; Solem
Dum præit illa parit; dum parit illa; præit.

### SOL. 456.

Sol oculus Mundi, Cælorum maxima Lampas.
Indicat ille Deum luce ferente Diem.

### FAMA. 457.

Progenies Terræ Fama est, de stirpe Gigantum;
Encelado, & Cæo sanguine juncta soror.
Sic scripsit nostri doctissima Musa Maronis,
Atque refert lepidis Fabula vana jocis:
Horrendum Monstrum. linguas, & guttura centū,
Atque oculos totidem, quò tueatur, habet:

Hàc,

Hàc, illàc semper volitat per Regna, per Vrbes;
Remigium alarum mobile corpus habet:
E' cælo dilapsa minùs velocia, currunt
Fulmina; cum vento pigrior Aura volat.
Puncto uno Oceanum totum, montesq; remotos
Percurrit; Thraces conspicit, atque Getas:
Puncto uno spectat disiunctos Orbe Britannos,
Sarmaticos populos, belligerosque Scythas:
Facta hominum enarrat; veris mendacia miscet;
Incipias illi non habuisse Fidem;
Esse facit Nanum parilem quàm sæpè Giganti,
Et parilem Nano sæpe Giganta facit.

LVNA. 458.

Cynthia nunc celat, nunc fulgida cornua mon-
Instabilis visu semper, & illa levis. (strat:

SIDERA. 459.

Sidera sunt flores, vel lampades ætheris: Hortum,
Aut Templum Cælum dicere jure potes.

PAVPERIES. 460.

Pauperies habitat tecto sub paupere; ab Aula
Exulat, & magni Principis illa Domo:
Parva toga est Clamys, induitur qua Vere, vel
Dormitat tremulo corpore nuda solo: (Æstu;
Prandia præbet Olus, potum dat labilis Vnda;
Exiguasque dapes condit iniqua Fames:
Neve timet fures, quoniam non possidet aurum,
Nec rutilas gemmas continet Arca sinu:
Neve timet pelagus, quoniã sibi nulla per æquor
Navigat imposita divite merce Rates:
Neve timet nimbos, vel sævi grandinis ictus;
Non habet exculti jugera culta soli.
Neve timet fusum parvo cratere venenum;
Nam nil, successor quod sibi speret, habet.
Perpetuos captat vili sub stramine somnos;
Quos malè divitibus pessima cura rapit.
Pauperiem vellem, Musis nisi sæva noceret;
Pauper enim mandat carmina nulla Typis.

RO-

## ROMA. 461.

Pontificum Sedes Roma est, & Regia Petri;
Conservat Sancta Relligione Fidem.
Possit ut humanas extollere ad æthera Mentes,
Inclyta magnificis fastibus illa tumet.
Templa, Domosq; Vias peregrinus,& advena lau-
Prodigiũ est facra quidquid in Vrbe vides.(dat;
Si nos in terris recreant miracula rerum;
Quid faciet pompa nobiliore Deus?

## Ad Eminentiss.,& Reverendiss. Dñum FRANCISCVM MARIAM PIGNATELLI S. R. E. CARDINALEM, ET ARCHIEPISCOPVM NEAPOLITANVM. 462.

Rexisti, FRANCISCE, gregem,Caulamq; Tarenti
Antistes multa Relligione pius:
Audisti innumeros plausus à Rege Polono,
Cùm te Legatum vidit, & obstupuit:
Optavit reducem tandem te Roma, deditque
Dona ostri, meritis præmia digna tuis:
Nunc te Pastorem formosa Neapolis optat,
Adventumque tuum postulat ægra nimis:
O venias, totamque piis Virtutibus Urbem
Illustra, exemplis corripiendo scelus.
Fulgeat Integritas, Pietas, Prudentia, Honestas,
Quæ decorant animos, nobilitantque tuos:
Quod posuit Patruus post tempora lõga triregnũ,
Fortè Tibi, eveniant omina, Roma dabit.

## S. MARIA MAGDALENA IN IMAGINE. 463.

Quæ mulier neglecta genas, diffusa capillos?
Magdala: quid lachrymat? læserat illa Deum.
Exemplis moveare suis, si fœda patrasti
Crimina, pœniteat; nocte, dieque dole:
Sic evitabis flammas, Ignesque gehennæ,
Quos jure ex culpis, criminibusque meres.

## AD VENEREM. 464.

Vana recede Venus casto de carmine; semper
Lascivos odit nostra Minerva Jocos.

## AD MARINUM CARACCIOLUM ABELLINATUM PRINCIPEM &c. 465.

O mille encomiis semper laudande MARINE,
Abellinatum Gloria, & Orbis Honor.
Egregios Vates Genitor tibi charus amavit,
Et voluit secum dives habere domi;
Nec Te degenerem fecit tua maxima Virtus,
Protegis ornatos Palladis arte Viros;
Hinc ego, quę spectas, Tibi parvula carmina sacro,
Perlege, nec spernunt numera parva Dii.
Meque patrociniis felix tueare Clientem,
Auxilium præsta, præsidioque fove:
Principibus par est, & magnis Regibus Orbis
Addere Virtuti, quo caret illa, Decus.
A'Mare nata Venus; Mare dat tibi nobile nomen,
A' MARE nascatur Gratia nostra tuo.

## AD NESTOREM. 466.

Nestor, emis caules, facias ut prandia amicis;
Nec conviva tuus, nec tibi amicus ero.
Ficedulas emito, vitulam, pinguesque capones,
Si vis me ad mensam sæpe videre tuam.

## AD PONTICUM. 467.

Bestia, vel Deus est solus qui, Pontice, vivit:
Cùm solus vivas, Pontice, nosce, quid es?

## AD POSTHVMVM. 468.

Decrescunt vires; anni tibi, Posthume, crescunt:
Paulatim moreris, Posthume, erisque cinis.

## DE AFRO. 469.

In tenebris mendicat Afer; sed lucis in Ortu
Divite mutata veste putatur Eques;

Pau-

Pauperies celata audet, manifeſta rubeſcit:
Ceu ſpecioſa tument, cùm vitioſa latent.

AD PAVLINVM. 470.

Formoſam Marianus habet, Pauline, Catellam,
Divitias reputat, deliciaſque ſuas.
Nocte, dieque illam charis amplectitur ulnis;
Datque ori lætus baſia, datque genis.
Cùm comedit, præbet quæ ſunt meliora Catellæ,
Nunc bibit illa undas, nunc bibit illa merum.
Communis lectus, communia fercula utrique;
Sic Domino chara eſt pulchra Catella nimis.
Perpetuò, ut credo, gemeret, ſi fortè periret;
Cumque illa vellet jam moriente mori.

DE MUTIO. 471.

Cùm foderet caules; & parvum Mutius hortum,
Argenti invenit, quod latitabat, onus:
Protinus accurrit patruus, necuitque ligone,
Argentum ut faceret, divitiaſque ſuas:
O auri maleſana Fames, & avara Cupido!
Horridiora facis crimina, & illa jubes.

AD LINUM. 472.

Ego Virtutum Cuſtos, & verus Amator:
Cætera decipiunt, &, Line, deficiunt.

AD ALANAM. 473.

O qualis ſpecies vultum tibi veſtit utrinque!
Quiſquis te ſpectat, credit, Alana, Deam.
Pulchra minus Rachaël, Eſther, Cleopatra, Corin-
Nec Veneris tantus, nec Berenicis Honor. (na;
Vt video, ut pereo, cordique incendia ſurgunt:
Manat ab aſpectu Vitaque, Morſque tuo.

AD EVNVM. 474.

Fercula manè capis, libros vix, Eune, revolvis;
Sic plenus Venter, ſed caput eſt vacuum.

AD HARPALVM. 475.

Barba tibi candet, sed adhuc legis, Harpale, libros;
Semper enim superest quod sapuisse potes.

AD ATTICVM. 476.

Officium recites semper licèt, Attice; numquam
Moribus urbanis officiosus homo es.

AD OLLVM. 477.

Pausilypi colles, & florea rura petamus,
Fervidus æstivo dum calet ore Leo;
Vmbra Ignes minuet, quos Titan vibrat ab ore,
Flammivomosque dies comprimet unda maris.
Argutos versus, & carmina mille Thalia
Dicet ibi; choreas texet, &, Olle, jocos.
Actius accipiet vicino è littore voces,
Atque iterum credet vivere Virgilium.

HIPPOCRATIS EFFIGIES. 478.

Hic est Hippocrates Medicorum creditus Alpha:
Nec Latium vidit, Græcia neve parem.

TRIA HOROLOGIORVM GENERA. 479.

Vmbra, Sonus, Pulvis labentia tempora mõstrant:
Vmbra, Sonus, Pulvis Vivere; Vita Nihil.

AD OLLVM. 480.

Abstulit Vxorem, Natos Sors, prædia & aurum:
Mæreo quòd superest Vita; nec, Olle, deest.

AD MARIANVM DE AVLO. 481.

Rumpitur infelix Aulus, Mariane, dolore;
Nec ratio constat, nec mihi causa patet:
Suspicor hoc unum. vidit mea carmina nuper,
Quæ dedimus multa non sine laude typis:
Sed mox Tristities miserum plus opprimet Aulũ,
Spectabit prælo cùm dare majus opus.

AD

AD MAXIMVM. 482.
Quid sequeris musas? dulces quid Apollinis Artes?
Causidicus fias, Maxime, vel Medicus:
Dat Galenus opes; dat Lex, & Curia honores:
Temporibus nostris reddit Apollo nihil.

AD NESTOREM. 483.
In libris totam Vitam consumito, & annos;
Nec lucrum quæras, nec tibi, Nestor, opes.
Virtutes animi tantùm curamus, & artes,
Cætera, quodcunque est, credimus esse lutum.

AE PONTICVM. 484.
Vlcera quotquot habes, tot sunt tibi, Pontice, census
Mendicando tuæ dant alimenta Fami.

LVDOVICVS REX GALLORVM. 485.
Esse reor Martem, cùm stat Ludovicus in armis:
Cùm sedet in solio, tunc reor esse Jovem.

DOMVS. 486.
Pulchra quidē Domus est, Domus est nec pulchrior ulla:
More, genis, animo pulchrior est Dominus.

AD ATTALVM. 487.
Attale, quid tantum ventoso corde superbis?
Quidne supercilio penè tonante tumes?
Figulus est genitor, patruus miserandus arator:
Sunt tibi divitiæ, sed modò pauper eras.

AD EVNVM DE PAVLINA. 488.
Miscuit in cyatho patri Paulina venenum,
Ne sit, qui mores corrigat, Eune, suos.

DE AFRA. 489.
Afra viro nupsit; dissolvit posteà lecti
Fædera, quæ ratio est? Hermaphroditus erat.

AD PAVLVM. 490.

Ex auro bigæ tibi sunt,&,Paule, quadrigæ:
Atra fames torquet Teque, tuamque Domum.

DIVITIÆ. 491.

Spiridion colubrum quondam mutavit in aurū:
Divitias animi nosce venena tui.

AD LÆLIVM. 492.

Putridus exhalat tibi fætor ab ore: sepulchrum
Os possum, Læli, dicere jure tuum.

AD PAVLVM. 493.

Enumerat quotquot terræ vestigia figis,
Paule, Deus; rectas ito, redito vias.

DE CINNA. 494.

Grammata Cinna docet; simul est & tonsor in Vr-
Tondendo barbas barbara verba facit. (be:

AD NESTOREM. 495.

Omnia dilapidas cænando, & sæpe bibendo:
Aut lanx, aut cyathus Mors tibi, Nestor, erit.

AD SABELLIVM. 496.

Quid facies?, facies rosa est tibi tota, Sabelli.
Potabo succos, quos Medicina jubet.
Quid Medicina? mihi rerum Regina putatur:
Quodque malum nostro è corpore sola fugat.

AD ATTALVM. 497.

Dux Equitum Fabius, peditum Dux, Attale, Quin-
Audaces hostes terret uterque suos. (ctus

DE SVO LIBRO. 498.

Mausolea, Arces, Templa, amphitheatra, Colossos
Quid Roma encomiat? Græcia quidne stupet?
Majus Opus reputo librū hunc, quia sæcula vivet,
Sed fient lapsu temporis illa cinis.

Ad Excellentissimum Dominum
EMANVELEM FERNANDEZ PACECCHO, Y GYRON
Villenæ Marchionem, Escalonæ Ducem, Sancti Stephani Comitem, Neapolitani Regni Proregem, &c. 499.

Mole sub armorum totus latè ingemit Orbis;
Regna per, & populos Agmina mille fremunt:
Gallia Militiis tonat hinc, & Iberia felix;
Angli illinc audent, Tautonicæque manus:
Sanguineas cædes promittunt prælia, & Hostes,
Exitium populis, Regibus excidium.
Dum Tu Sebethi regnum moderaris, & Vrbem,
EMANVEL, voces Regis, habesque vices,
Nil timeas; pugnat Ludovicus, & inde Philippus;
Martis habet gladiū hic, fulmina & ille Jovis.

AD AFRUM SENEM. 500.

Cùm puer, Afer, eras, habuisti in crinibus Aurum;
Nunc tamen argentum in crinibus, Afer, habes:
Sed puer, atque senex pauperque, miserque fuisti,
Argentum, atque aurum progenuere famem.

AD BYTHINNICUM. 501.

Ut parcas nummis, vivis, Bythinnice, pauper:
Inter poma fames, est sitis inter aquas.

AD ATTALUM. 502.

Dives es, & fieri vis ditior, Attale, ut Hydrops
Plus sitiendo bibit, plusque bibendo sitit.

MILITIÆ UBI PUBLICA STUDIA. 503.

Hìc ubi regali saltu stetit inclyta Pallas,
Ingenuæque Artes eviguere priùs;
Armigeræq; manus habitant, Martisque cohortes,
Custoditque Urbem Milite Cura vigil:
Cedant Arma togæ, clamavit Tullius olim;
Nunc Armis cedit, Militiæque toga.

AD PONTICUM PICTOREM. 504.

Heroas, fortesque Duces, &, Pontice, Reges
Lineat in tabulis ingeniosa manus,
Pinge tuos patruos atavosque, &, Pontice, Patres.
Custodes ovium tela, feretque Coquos.

GIGAS PROPE REGIUM PALATIUM. 505.

Hic est ille Gigas, posuit quem Petrus Aragon,
Esset ut & Custos, & Vigil ante Domum:
Marmoreus quamvis, visu conterruit Hostes;
Auxilium Domino, præsidiumque fuit:
Qui transit, miratur opus, plauditque tuendo;
Sed pueris tamen est lusus, & ille Jocus.

SUPRA VILLAM. 506.

Diana, & Bacchus, duo numina læta, triumphant
Hic, Hospes: vinum datque, paritque feras.

TEMPLUM. 507.

Numinis hec Domus est, sacraRegia, & Inclyta Se-
Mirando fastu tota proinde tumet. (des

FONS. 508.

Ludit in argutis Fons hic, delectat & undis:
Quique stupendo videt, quique videndo stupet.

SEBETHUS. 509.

Hic est Sebethus toti celeberrimus Orbi:
Pauper aquæ, dives nominis ille fluit.

SOL IN VIRGINE. 510.

Virginis ingreditur cùm Sol sedemq; Domumq;
Deponit viriles Campus ubique comas:
Virgo quidem sterilis, sterilis quoq; provida Tel-
Et fructus nullos concipiendo parit. (lus,

AD PAVLVM. 511.

Quidquid emis, denuò vendis, sic, Paule, lucraris,
Et toti domui das alimenta tuæ.

MUN-

MUNDI CREATIO. 512.

Fit nihil ex nihilo: Deus attamen Arbiter Orbis
Condidit ex nihilo quidquid in Orbe vides.

AD NESTOREM. 513.

Pictor eras quondam, sed nunc es Lictor in Urbe:
Officium pauper, Nestor, utrumque facis.

VESVVIVS. 514.

Et tonat, & flammas emittit ab ore Vesevus,
Cur ità ? Parthenopen impatienter amat.

SOL. 515.

Excitat Artifices Sol natus, & excitat Artes;
Complet Opus Solis lumine quique suum.

AD MARCUM. 516.

Nunc es Vespillo, qui Musicus ante fuisti:
Contracta id fecit gallica, Marce, lues.

AD POTITUM. 517.

Mancipium quondam vænale, Potite, fuisti:
Nunc dicunt Dominum Teque, Patremq; tuum.

AD PAVLVM. 518.

Sors adversa premit semper te, Paule; dolemus
Nunc moriente socro, nunc moriente nuru:
Ex his, quæ pateris Virtutem collige, sicut
Antidotum ex colubris Pharmacopola facit.

TEMPLVM S. PETRI IN VATICANO. 519.

Ut vidi, ut stupui Petri mirabile Templum
Inter Romanas, Romuleasque Domos.
Quidquid Pontifices possunt, fulgescit in illo:
Par nusquàm vidit, neve habet Orbis Opus.
Hoc unum ponas, tibi maxima Roma videtur:
Hoc unum tollas, Roma videtur inops.

 520.

Paulino debes centum ſeſtertia, Læli,
Nec tibi ſunt, poteris cedere jure bonis.

PUERI GEMENDO NASCUNTUR. 521.

Dicito, cur Pueri primo lachrymantur in Ortu?
Vivere prænoſcunt eſſe perenne pati.

MVLIER CVM DOLORE PARIT. 522.

Extremos ſentit mulier pariendo dolores,
Vt charos Natos plus amet illa ſuos.

EX TERRA COMPONIMVR. 523.

Solvitur in Terram ſi quis moriatur in Igne;
Aëre ſi in medio, Terra cadaver habet.
Extinctos Terræ reddit Mare fluctibus actos:
Non Flamma, aut Aër, non Aqua, Terra ſumus.

PRÆMIA POESEOS. 524.

Jamque rubeſcebat roſeis Aurora quadrigis
Infantem populis progenitura Diem,
Expulſis latè tenebris, umbriſque fugatis,
Naſcentis Solis proxima lampas erat;
Aëra mulcebant cantu reſonante Volucres,
Et matutino rore madebat humus:
Cùm vidi geminas fulgeſcere luce feneſtras,
Et totam radiis emicuiſſe Domum,
Obſtupui, ſubitoque ſtetit mihi pulcher Apollo
Ante oculos, flavas aureus ille comas;
Vna tenet Cytharam, manus altera ſubſtinet Ar-
Eque humeris pendent fulgida tela ſuis. (cum,
Gaude, inquit, Cæſar, mea maxima gloria, gaude;
Exulet ex oculis Luctus, ab ore dolor.
Caſtalias undas primis tibi juvit ab annis
Lambere, & Aſcræas Bellerophontis aquas;
Æternum tibi nomen erit, tua Fama perennis;
En addo capiti laurea ſerta tuo.
Dixit; & in tenues fugiens evanuit auras,
Eque oculis abiit protinus ille meis.

Iæ-

Lætitiam ſenſi per fibras pectoris imas,
Et caluere hilari gaudia mille ſinu:
Non igitur vanus labor eſt coluiſſe Poëſim,
Præmia ſunt Plauſus, Gloria, Nomen, Honor.

AD APOLLINEM. 52

Aſcræos colles, & dulcia culmina Pindi
Deſere, Pauſilypi ad littora, Phæbe, veni:
Hic laurus cingat fulgentia tempora ſerto,
Et redimat viridi fronde premente comas;
Dextra Chelym tangat, ventosq; frenat, & ur
Fulminibuſq; poteſt impoſuiſſe moram; (da
Sint circum Muſæ, tollantque ad ſidera voces,
Et geminent teneris carmina mixta notis;
Sit procul hinc Fletus, procul hinc & Mæror, & Ar
Amplius ex oculis meſta nec unda cadat; (go
Carolus Auguſto vel Cæſare dignior offert
Effuſa Muſis prodiga dona manu;
Nunc tempus duplicare melos, nunc dicere verſu
Vtile; nunc cantus explicuiſſe juvat.
Dicendi tunc vena fluit, tunc carmina fervent,
Cùm porrecta ſibi dona Thalia videt.

ROMANA VRBS. 52

Vrbs eſt queq; Domus, tota Vrbs mihi crediturO
Orbis magnificis faſtibus Vrbe minor.. (bi

DVX EFFÆMINATVS. 52

Mille habuit lauros medio in certamine Martis
Sed quod Mars dederat, nunc rapit una Venu

DOMVS CÆSARIS. 52

Quæ Domus ætherias ſurgit ſublimis in auras
Quæ nimio faſtu nobilis Aula tumet?
An ſunt tecta Jovis, vel ſacra palatia Solis?
An ſunt Cælicolûm limina digna Deûm?
Ornamenta nitent, fulget pretioſa ſupellex:
Nec Cræſus tantas dives habebat Opes:

Aurea parietibus quàmplurima pendet Imago,
Quæ spectatorum lumina fixa trahit.
In thalamo lectus surgit ditissimus, illo
Strata super somnos vellet habere Venus:
Has moles Cæsar posuit sibi prodigus auro,
Nomine dum veteres vincere tentat Avos;
Rege quidē digna est domus hæc satis ampla, nec
Magnificos fastus Principis arcta capit. (illa

COLOSSÆVM ROMANVM. 529.
Machina quæ tumido consurgit vertice in auras?
Quæ Moles tantùm tollit ad astra caput?
Hicne gigantæo conjuncti sanguine fratres
Montibus impositis bella tulere Jovi?
An potiùs sunt hæc lapsæ vestigia Romæ,
Quæ monstrant veteres nobilis Vrbis opes?
Longinquas extendit iter quicunque per oras,
Metam hic edificat constituisse Viæ:
Hic labor est unus toti mirabilis Orbi,
Quod magis obstupeat, non habet Orbis opus.

AD CAROLVM EQVITEM. 530.
Herouni soboles generoso è sanguine cunas,
Et jactas clarum nobilitate genus,
Conspicuæ stirpis tibi regia fluxit Origo,
Innumeris titulis imperiosa suis;
Illustres Atavos fumosa in imagine servas,
Palladis Augustum, Militiæque decus;
Quis scripsisse potest gentis decorata triumphis
Gesta tuæ? carmen, nec mihi vena satis:
Sinceri è tumulo redeat, vel Musa Maronis,
Vt celebret tantam, laude decente, domum.
Nostræ Vrbis veteres Reges, Dominiq; potentes
Connubii tecum nobile fœdus habent:
Condigno plausu te sola silentia laudant,
Et satis extollunt desuper astra Genus.
Majestas, & forma animi, præclaraque Virtus
In Te uno cunctos, CAROLE, monstrat Avos.

DE

DE VRBE ROMANA. 531.

Sanctior Vrbs esset, si fæmina pulchra deesset;
Crimina mille gerit, si quis Amator erit.

OLLA AD IGNEM PERITVRA, REGNANTE INNOCENTIO XII. 532.

Olla admota Igni mox est peritura cadendo;
Sed numquam, Romam quæ regit, Olla cadat.

AD LILLAM. 533.

Cùm loqueris, sermone favos,& munera mellis
Emittit labiis grata Suada tuis;
Cùm graderis, flores spargis pulcherrima gressu,
Et læti Veris tempora læta facis.
Non sic irradiat vultu Tithonia conjux,
Non sic effulget Cynthia pulchra genis.
Spiritus est formæ adjunctus; motùque, jocoque
Inflammas animos, & sine fine places;
O numquam rapiat Vitam tibi barbara Clotho,
O faciant longos Fata benigna dies.
Tu Matris, patrisque tui jucunda Voluptas,
Tu generis felix Gloria, Honorque tui.
Lilla, meos versus non dedignare legendo;
Hoc Carmen fidus testis Amoris erit.

AD CAROLUM EQVITEM. 534.

Carole, quid tantùm vestigia lenta moraris?
Heu propera cursu sollicitante Vias;
Parthenope frontemque cupit, vultumque tueri,
Et charos reditus impatientèr amat:
Nam Tu Lux Equitum, totius Gloria, & Urbis
Unus es, antiquæ nobilitatis Honor.
Sat Te spectarunt Capitolia onusta triumphis;
Sat plausit fastus Martia Roma tuos;
Nubibus expulsis venias, umbrisque fugatis,
Et reddas, rapuit quod mora longa, jubar.

AD LUDOVICUM EQUITEM. 535.

Musica ab Empyreo terras descendit ad imas,
Ut foret humanis grata medela malis:

Præ-

Præscriptis numeris, & certis legibus Orbes
Credimus ætherias ire, redire Vias.
Hinc Tu Cantorum nutris, Ludovice, cohortem,
Et plures Cycnos divitiosus alis:
Sic rigidas animi curas cantando coherces,
Et sævos morsus, tristitiamque fugas:
Erigit ad Cælos felix Symphonia Mentem,
Et facit Authoris te meminisse tui.

ROMA. 536.

Majestas tanta est, & felix Gloria Romæ,
Quòd mea Mens iterum cogitat Vrbis iter.

AD VIOLANTAM COMITISSAM. 537.

O Generis, Violanta, tui Laus unica; sexus
Fæminei Plausus, Gloria, & altus Honor,
In Te juncta Venus docta est cum Pallade; Musas
Ingenio vivax non sine laude colis;
Pro fuso calamum tractas, & carmina scribis,
Carmina quæ plaudit Gloria, Fama stupet:
O longos annos vivas, & sæcula: rumpat
Nec Lachesis vitæ stamina chara tuæ:
Auxilio tueare, precor, Violanta, Clientem,
Et da præsidium, quod mea Musa rogat:
Sic Tibi concedat Parnassi largiùs undas,
Et serto meritas cingat Apollo comas:

ROMA. 538.

Deserui Romæ colles, & mœnia Martis;
Dent iterum fastus Fata videre suos.

MARE. 539.

Nympharum Thalamus, Neptuni Regia Portus,
Progenerat gemmas, divitiasque parit.

## AD CAROLUM SANSEVERINUM BISINIANI PRINCIPEM.

### De Domo à Fulmine percussa. 540.

Illustres Equites inter ceu nobile Numen
Fulgebas; titulis pár tibi nullus erat:
Inclyta Majestas fulvo veniebat ab auro,
Quique Tibi laudum plena tributa dabat:
Juppiter invidit tantos Tibi, Carole, fastus;
Fulmine tentavit perdere, nec potuit.

### AD EVNDEM
### De Domus Magnificentia. 541.

Qui Fastus? quæ pompa tumet? qui splendor in Au-
Dextera quæ tantas prodiga fudit Opes? (la?
CAROLVS hæc pingi jussit miracula in auro;
Arca illi servat quidquid Erythra parit.
Juppiter in terras si fortè veniret ab astris,
Altera quæ caperet, non foret apta Domus.

### AD EVNDEM
### De Floribus in Domo pictis. 542.

Quis Floræ risus pinxit? quis gaudia Veris
In Cælo tecti, parietibusque tui?
Conspicimus vernare rosas, violasque per ædes,
Et quotquot flores pulcher Aprilis habet.
CAROLE, sint procul hinc fulgentia munera flo-
Laurea serta comis sunt magis apta tuis. (rum;

### AD EVNDEM
### Quòd Poetam recipit post fulminis ictum. 543.

Alta tumescebant nimiùm fastigia tecti,
Facta vel ætheriis invidiosa Diis;
Juppiter interea crudelia fulmina ab astris
Vibrat, & ignitas mittit ab axe faces,

Per medium reboant metuenda tonitrua Cælum,
Fulget & accenso fervida flamma polo:
Horrorem peperit, non attamen illa ruinam,
Ad sævos ictus fulminis Aula stetit:
Sub tecto recipis Musas, & Apollinis Artes,
Castalidas Nymphas, Aonidasque Deas,
Incolumes capient posthac tua lumina somnos;
Ridebis tutus nocte, dieque Jovem.
Musarum Numen lauro redimitur Apollo,
Contemnit Laurus fulmina, neve timet.

## AD EVNDEM

Quòd Musicos amet, & stipendio foveat. 544.

Horrida nigrescunt quoties umbracula Noctis,
Lux postquam facto Vespere funus habet;
Augusto in tecto felix Symphonia gaudet,
Et pulsat dextra sollicitante Lyras;
Vranie geminat cantus, & carmina: fervet
Armonicis numeris divitiosa Domus;
Præmia das Cycnis, & larga stipendia, Princeps;
Sub laribus vivit turba canora tuis:
Sirenes pelagi concepto murmure vocum,
Mellifluos gaudent plaudere sæpe sonos;
Tristities de corde abeunt, sævique dolores;
Abripit ex animo Spinea Cura fugam.
Vive diù, vitæ nec stamina barbara Clotho
Abrumpat, quoniam sæcula longa meres:
Lætitia elongat refluentis temporis horas;
Diminuit tristis tempora nostra Dolor.

## AD EVNDEM

Quòd Pictores Domi habeat. 545.

Nobilis è tecto niteat quò plurima Imago,
Inque Aulam fundat muta Poësis opes,
Pingendi Artifices, ditissime CAROLE, nutris,
Et labor assiduus torquet utramque manum,

Hic

Hic se flumineis spectat Narcysus in undis,
Qui flos evasit captus amore sui:
Pulchra illic Danae pretiosa numismata gestat
Fusa sinu, flammas Juppiter intùs alit,
Endymion alia fulget sub imagine pictus,
Qui fixit cordi vulnera, Luna tuo;
Parte alia formosa Venus dat lumina somno,
Et nostros oculos fronte, genisque rapit;
Cætera prætereo, dignissima cuncta videri,
Artis, & Ingenii nobilioris Opus;
E' tumulo hoc ævo, si fortè rediret Apelles,
Non nisi sub laribus pingeret ille tuis.

## AD EVNDEM
### Quòd phaselos in Mare habeat. 546.

Arte laboratos, & pictos puppe phaselos
Vicinum, Princeps, per Mare dives habes,
Pausilypi gaudes medias nunc ire per undas,
Fervidus accenso dum calet ore Leo;
Nunc te Roma videt vectum rate, & inclyta gau-
Aspectu dulci, colloquioque frui; (det
Nunc Calabros fines poscis, felixque Carina
Teque, tuamq; hilaris fertq;refertq;Domum:
Sæpe caput Nereus patrio de gurgite profert,
Et plenas gazas, quas vehis, ille stupet:
Æolus audaces cohibet sub carcere ventos,
Æquoreas quoties te videt inter aquas;
Horridus ore silet suspensus in aëre nimbus,
Cùm spectat comites, puppe ferente, tuos:
O qualis, quantusque meres generosus haberi,
Teque Dii pelagi, teque Elementa timent.

## AD EVNDEM
### De Aulicorum Comitate, & obsequio. 547.

Servorum numerosa cohors, & maxima turba
Fluxibus ambiguis itque, reditque Domum,

Quique timet tacitos nutus, & Principis iras,
Et prompta Domini percipit aure sonos;
Mos illis dulcis, Comitas mirabilis, atque
Fervidus intactæ Religionis Amor.
Quique suos Atavos civili è sanguine jactat,
Nec maculat fædi criminis umbra genus;
Dirigit excultos felix prudentia Mores,
Cùm gravitate leves, cum levitate graves;
Servitio insistunt vigiles, nec discolus ullus,
Voce fremit rigida, nec ferus ore tonat.
Non tamquã Dominus, sed tamquã Numen adef-
Subditur imperiis nobilis Aula tuis. (ses,

## AD EVNDEM
De quadrigarum fastu, & pompa. 548.

Quis canat alatos currus, celeresque quadrigas,
Quas Tibi divitiæ contribuere tuæ?
Sunt aliæ pictæ vario, mixtoque colore,
Et circum forma fulgidiore nitent:
Sunt aliæ ornatæ signis, pulchrisque figuris,
Materiemque præit nobilis Artis opus:
Purpureis alias ornavit pompa corallis,
Nec Regum potuit fastus habere pares;
Ex auro finxere aliæ; latèque refulgent.
Ex auro temo, lora, rotæque micant;
Non sic irradiat currus, quo Cynthia fertur,
Nec par Solis habet pulchra quadriga jubar:
Cùm veheris mediã, Princeps generose, per Vrbẽ,
Et populi, atque Vrbis corda, oculosque trahis:
Regalis fastus, tua fulgida, Carole, pompa
E' Cælo lapsum te facit esse Jovem.

## AD EVNDEM

Quòd Musas colat, & se Poëtam ostendat. 549.

Castalias potare juvat tibi, CAROLE, lymphas,
Et semper fluidas Bellerophontis aquas,

Exer-

Exerces dulces Musas, & carmina scribis,
Quæ plausu tollunt nomen ad astra tuum.
Parnassum quam sæpe habitas, & deseris Aulam,
Sub lauro gaudes præteriisse dies.
Ingeniũ tibi grande quidem, tibi mentis acumen
Nobile, & est multo lingua referta sale;
Sunt Tibi dicendi Veneres, tenerique lepores,
Carminibusque hæret Gratia multa tuis:
Te scribente, iocis jucunda Comædia ludit,
Et meritæ laudis mille tributa refert;
Belligero gladio calamum conjungis; es idem
Argutus Vates, & generosus Eques;
Mars tibi dat sertum, laurum tibi præbet Apollo;
Sic doctum duplici fulget honore caput.

AD EVNDEM
De Concha aurea, & argentea. 550.

Pulchra Venus fugit, stat, Carole, Cõcha superstes;
Illa tuam castam noverat esse Domum:

ANTONINVS PIVS IN CAPITOLIO
Supra Equum ex ære. 551.

Dum miranda videt sacræ Capitolia Romæ,
Hæret Eques, fixis motibus, hæret Equus.

VOLVMEN EX ARGENTO SOLIDO. 552.
Argento è solido factũ est hoc grande Volumen;
Quid docet? ut rapias; quid monet? ut taceas.

VENVS IN FONTE. 553.
Pulchra Venus morsũ lugebat Adonida ab Apro,
Fecit & hunc fontem fletibus illa suis.
Quisquis labentes lymphas degustat, & undas,
Epotat lachrymas, non saturatur aquis.

CONJVGES. 554.
Vir gladio insignis, vultu pulcherrima Conjux.
Sic alter Mavors, altera tota Venus.

AD OLLVM. 555.

Arte Lyram tractas, animam dat dextera chordis:
Ad sonitum lapides nos facis, Olle, tuum.

PRINCEPS PAR IGNI. 556.

Par Igni Princeps, si cominùs adsit, adurit:
Si fiat populis eminùs, ille nocet.

S. FRANCISCVS DE PAVLA. 557.

Æquoreas Franciscus abit sine puppe per undas:
Palliolum Navis; Navita? sola Fides.

JACOBI CARDINALIS CANTELMI.

EPITAPHIUM. 558.

Hic ubi fulgentem spectas ex ære Leonem,
JACOBVS cineres contumulatus habet:
Virtuti, & meritis sacrum Roma obtulit ostrum,
Quo cinxit sacras condecorante comas;
Parthenopen Pastor rexit, Defensor Ovilis;
Protexitque suum non sine amore gregem:
Sed tandem, poscente Deo, poscentibus astris,
Fatali secuit forbice Parca dies:
Sæpe meos versus plausit; pro plausibus illi
Emeritas mæsto è lumine do lachrymas.

AD CLAVDIVM IMPERATOREM, 559.

Massalina tibi molitur funera, Claudi;
Perfida furtivam præperat illa necem:
In regno, in thalamò gaudebit Silius; unus
Est Vxoris Amor, deliciumque tuæ;
Ne pereas, perimat meritò tua dextera utrumq;
Infames cupiunt quam tibi, Morte cadant.

AD LINVM. 560.

Gaudemus quoties properant umbracula Noctis;
Tristamur quoties lux oriendo redit:

Crimina nimirũ quàmplurima nocte patramus,
Triſtitiam cordi quæ, Line, manè ferunt.

## AD LECTOREM. 561.

Jam mihi cœperunt nivei candeſcere crines;
In vegeto vultu pulchra Juventa fuit:
Propterea video tergis inſtare ſepulchrum,
Eſtque humeris Lacheſis proxima facta meis:
Parva tibi volui monumenta relinquere Amoris,
Antè levis fiam quàm moriendo cinis:
Perlege, Lector, opus; ſiquid rude ſtabit in illo,
Parce libens; cæcus carmina ſcripſit Amor.

## PASSIO CHRISTI. 562.

Quis clavos acuit? quis torſit ſæva flagella?
Quis Chriſtum duro in ſtipite fixit? Amor.

## CHRISTI VVLTVS IN DOMO ROMANA PRINCIPIS SABELLI. 563.

Conſpice quiſquis ades, parva quod ſervat in æde,
Portentum geſtis clara SABELLA Domus,
Effigies Chriſti turpis, rudis, horrida viſu
Exigit effuſas ad ſua Vota preces;
Manat adhuc lachrymis, livoribus horret Imago,
Et veteres colaphi continet atra notas:
Cœlorum Riſus ſacro in velamine luget,
Et Monſtrum eſt, hominũ qui fuit ante Decor:
Quis rapuit Chriſto lucentia lumina ab ore?
Deformem formam quis malè fecit? Amor.
Illachryma ad lachrymas; ad vulnera percute pectus;
Ad ſpinas Luxum ſpernĕre diſce tuum:
Si quis tanta vides oculis ſpectacula ſiccis,
Aut Lapis, aut dici Vipera ſæva meres.

## MORS CHRISTI. 564.

Interiit Chriſtus, ſcinduntur & horrida ſaxa;
Cor hominũ durũ eſt, haud gemit, haud doluit.

# AD JOANNEM BAPTISTAM VECONIVM POETAM ROMANVM. 565.

Ingenium, Baptista, tuum mirabile plausu
Est Orbi, atque Vrbi: quique stupescit Opus:
Quique stupescit Opus, quod tentas prodere prelo,
Et jam Typographi lassat utramque manum:
Fama tubis resonat præclaris præmia Musis,
Et celebrat digno nomine Mentis opes.
Virginis intactæ Conceptum protegis, hostes
Insequeris morsu, dum sine labe micat:
Ex rutilis Virgo sertum tibi præparat astris,
Ad cujus lumen cæcutit Invidia.

## AD COSMVM. 566.

Boletos semper fastidis, Cosme; timescis
Ne pereas, quondam Claudius ut periit.

## SPERATVR PAX AB EVCHARISTIA. 567.

Arma fremunt;populis sunt mille pericula ab ar-
Arma Italus, Tauto,Gallus,Iberus habet; (mis;
Infelix Europa gemit,dum personat armis;
Armaque,& armatos quique tuendo timet.
Sperandum è Cælo auxilium, munimen ab astris;
Qui Deus astra olim condidit, arma regit.
Hostia Numen habet;nos protegitHostia abHoste;
Candidus hic panis Symbola Pacis habet.

## AD PAVLVM. 568.

Congestum servas quid centum clavibus aurum?
Quis parcis nummis, divitiisque tuis?
Exilis cæna est. exilia prandia, vestis
Sordida; Tu servus, tu tibi, Paule, coquus.
O furor! o stolidæ ridenda insania Mentis!
Inter opes gaudes pauper, & esse miser.

SAN-

SANCTA CLARA. 569.
Clara Aurora suis radiis splendescit in Ortu,
Cùm matutinas mittit ab ore rosas;
Lucescunt claræ radianti lumine Stellæ,
Cùm Nox in tenebris semisepulta jacet:
Clara Iris, clarus Sol est, Fax clara per umbras,
Cum spargit clara luce micante jubar;
Nomine, Vita, Animo CLARA est præclarior Orbi
Aurora, Stellis, Iride, Sole, Face.

ARGVS. 570.
Corpore centum oculos habuit mirabilis Argus,
Pars erat & somno dedita, parsque vigil.
Par Argo fiat qui subdita regna gubernat,
Argutis oculis dormiat, & vigilet.

NAVIS. 571.
Per fluctus sum NAVIS, AVIS per rura, per Hor-
Sed VIS cōtra hostes sum metuenda tuos. (tos;

AD PAVLVM. 572.
DOS armenta dedit, gemmas, & prædia, & aurum:
Os eadem rapuit, Paule, gulosus eras.

AD AFRAM. 573.
Afra, domos frustrà condis, mox conderis Vrna:
Quid lautè cænas? mox eris, Afra, cinis.

AD LVDIMAGISTRVM. 574.
Ova capit nidus cum lemmate, Mox Paritura.
Ova hæc in Schola quid parient? Asinos.

AD PONTICVM. 575.
Aut tres, aut quatuor fecisti, Pontice, versus:
Et dici, & credi, stulte, Poëta cupis.

DE PAVLINA. 576.
Vt ventrem tegeret, sumpsit Paulina venenum;
Sic uno potu Mors necat una duos.

DE AVLO MALEDICO. 577.

Non est quod cænet;non est quod prandeat Aulus:
Alterius mores, quos malè rodat, habet.

AD BYTHINNICVM. 578.

Sunt res humanæ multùm, Bythinnice, vanæ:
Quodcunque Arca capit, Mors metuenda rapit.

AD PONTICVM VAGABVNDVM. 579.

Potasti Tygrim; potasti, Pontice, Araxim:
Nunc Ararim pota, Pontice, vel Tyberim.

ASTRA. 580.

Lāpadas, an flores mihi fulgidus explicat Æther?
Est Ager, an Templum nocte micante, polus?
An sunt cærulei formosa foramina Cæli,
Per quæ labentis munera roris eunt?
Decipior; dicam esse faces; comitantibus astris,
Queis celebrat Solis funera Luna soror.

ALEXANDER, ET DIOGENES. 581.

Vidit Alexander Cynicum, stupuitque videndo;
Ingenio dives, sorte misellus erat.
Posce, inquit, quodcunq; cupis; mea prodiga egenti
Dextra dabit; dominus plurima regna rego:
Nil posco, nil namque deest sapientibus, addit;
Tu gemis in gemmis: non doleo in dolio.

AD POSTHVMVM. 582.

Mutamus mores, nec non cum tempore Mentem,
Posthume; tu semper mæchus, & ebrius es.

DE AVFIDIO. 583.

Pessimus est vita, tamen optimus arte redemptor:
Fabricat Aufidius, non tamen ædificat.

DE EVNO. 584.

Pro Cælo piger est, pro Pallade pigrior Eunus:
Est ad solvendum plus sibi pigra manus.

AD

AD LINUM. 585.

Optimus Aufidii, Line, filius ante fuiſti:
  Omnia dilapidas, incipis eſſe nepos.

MENS. 586.

Mens præſaga malum præſentit ſæpe futurum:
  Abſentes caſus non videt, atque videt.

AD LÆLIUM. 587.

Vis pinguis fieri, Læli? jejunia ſerva,
  Et parcas dapibus, quas tibi menſa parat.
Vis pulcher fieri, Læli? jejunia ſerva,
  Et parcas dapibus, quas tibi menſa parat.
Vis ſanus fieri, Læli? jejunia ſerva,
  Et parcas dapibus, quas tibi menſa parat.
Vis dives fieri, Læli? jejunia ſerva,
  Et parcas dapibus, quas tibi menſa parat.
Vis doctus fieri, Læli? jejunia ſerva,
  Et parcas dapibus, quas tibi menſa parat.
Omnia, quæ bona ſunt, generant jejunia nobis:
  Impediunt quæ ſunt noxia, & illa fugant.

AD MARCHIONISSAM STERILEM. 588.

Omnia progenerant, quæ ſunt diffuſa per Orbem:
  Gignit ovis certo tempore, gignit avis:
Flos florem, Roſa pulchra roſa parit, horrida fructus.
  Arbutus; atque oleas Mater oliva creat.
Tu ſterilis tamen es; ſed gaude, tempore lento
  Progignes Martem, vel generoſa Jovem.

AD CÆSAREM EQUITEM. 589.

Æquoreas undas vexabant ſæpe piratæ,
  Vicinique Maris, quas dominaris, aquas;
Captabant miſeros cives, vel luce, vel umbris,
  Perque manus ibant vincula, perque pedes:
Effuſis opibus tua prodiga dextra redemit,
  Cæperat incautos quos metuenda cohors.
Extruxiſſe jubes cauſa hac navigia bina,
  Et binas trabicas veligeraſque rates;

Tutius his factum pelagus, securius æquor
Prædones ridet, nec timet inde suos.
Oro Deum supplex, Cæsar charissime, semper
Vt videas lætas ire, redire rates.

DOMUS CÆSARIS. 590.

Græcia,Roma,Rhodos,Memphis,quid frōte superbis,
Quòd stupeat moles Advena quique tuas?
Pyramides superat,Capitolia,Templa,Colossos
Arte, situ, pompa Cæsaris una Domus.

QVATVOR ANNI TEMPORA. 591.

Ver flores generat,segetes tibi congregat Æstas;
Autumnus fructus, frigora gignit Hyems.

DE SE. 592.

Accepi leporem dulci pro munere, & Vvas;
Sic gratus Dominus, gratior est Domina.
Velocem lepus esse notat,pulchrumque Pöëtam;
Vva quòd è vino fervida Vena fluat.

EVCHARISTIA. 593.

Exiguo sub pane latet venerabile Verbum;
Vna Magistra Fides, & Faber unus Amor.

AD MARINUM. 594.

A Mare nomen habes,sed mos nil monstrat amari,
Frons est argutis tota venusta jocis.
Te presente,canam quotquot jam carmina posces,
Siccabit pelagus nostra Camæna tuum.

BIBLIOTHECA. 595.

Hic sua conservat pretiosa volumina Pallas;
Quæ facienda, jubet; quæ fugienda, vetat.

AD VINCENTIVM CAPICIVM THEATINVM ARCHIEPISCOPVM. 596.

Et Pietas,& Sancta Fides,& mentis Honestas,
Inque Deū,inque homines jure probatus Amor.

Immotam posuere tuo sub pectore sedem,
Vincenti, & gaudent hic habuisse domum.
Hinc non decessit Patruus, discessit ab Orbe,
Ut mitram meritis cederet ille tuis;
Ostrum cum mitra cessisset, at obstitit ætas,
In vegetis residet prima Juventa genis.
Felices Lachesis tibi stamine protrahat annos,
Ostrum etiam, faxint Numina, Roma dabit.

DE MARIO. 597.

Gymnasium Marius lætusq; hilarisq; frequentat
Quotquot agunt mensem, constituuntque dies.
Tristis adest, vel prorsus abest, cur mense peracto?
Vel mercede caret, vel tribuisse piget.

GALLORUM CANTUS. 598.

Cristati cantant nocturno tempore Galli,
Quæ sit causa tamen, noscere fortè cupis?
Perjurus Petrus Christum ter nocte negavit,
Nocte Petrum sceleris ter monuere sui.
Ni dixisse velis, quòd poscant lumina Solis,
Venturum cantu sollicitante diem.

AD PONTICUM. 599.

Afra tibi felem donovit, Pontice, amanti:
Muribus ille hostis; moribus Afra tuis.

DE PAVLA. 600.

Paula sinu stringit noctuque, diuque Catellum;
Admovet osque ori, labra premitque labris;
Blanditur non illa cani, blanditur amanti,
Quem putat amplexu stringere sæpe suo.

CONJVGES. 601.

VIS junxit Sponsos thalamo, lectoque Jugali:
LIS benè discordes nocte, dieque facit.

DE MARIANA. 602.

Progenuit nuper natas Mariana gemellas;
Dote caret duplici, bisque gemendo dolet.

AD PAVLINVM. 603.

Fumescit, Pauline, tibi Domus alta caminis,
Fercula convivis dum benè lauta parat:
Sed plus fumescit tibi Mens, quia quærit Honores
Immeritos, Votis ambitiosa suis.

AD LÆLIVM. 604.

Plurima scripsissem memori dignissima plausu,
Si curis essent corda soluta suis;
Ingenii nostri fregerunt nobile robur
Officiumque Aulæ, Gymnasiique Labor:
Pauca tamen scripsi, quæ sunt miracula, Læli,
Tempore pro studiis deficiente meis.

AD MARCVM VALERIVM MARTIALEM. 605.

Sæpe tuos versus, & metra revolvo, Valeri,
Grata nimis cultis auribus illa meis.
Tota Venus, totusque Lepor tibi vernat in illis,
Nec desunt teneri, qui placuere, Sales.
Dicendi pulchras formas, moresque loquendi
Haurio de carthis, carminibusque tuis;
Tu mihi Dux fidus, tu Regula, tuque Magister,
Vt par, ut similis fiat in arte stylus:
Authorum veterum quisquis sectatur Idæas,
Ingenii multum, quod stupeamus, habet.

AD BELLAM. 606.

Bella tibi facies, donas bellaria Vati;
Sic Bella es bello nomine, Bella genis.

AD CÆSAREM EQUITEM. 607.

Ingenuas Artes tua nobilis excolit Aula,
Et plausu immodico tota Minerva sonat:
Exer-

Exercent alii leges, aliique Pöësim,
Astreæ junctus dulcis Apollo calet.
Cætera prætereo, sed miror, maxime Cæsar;
Hostis enim semper Palladis Aula fuit.
Sunt isthæc igitur miracula digna triumphis,
Quod fuit insolitum, Tu tamen esse facis.

AD EVNDEM. 608.

Quis non, Vive diu, dicet tibi, maxime Cæsar,
Si Vitam dulci munere mittis Aquam?

PECCATVM ADÆ. 609.

Lege Dei spreta peccant Eva, Anguis, Adamus;
Sed premit admissum debita pæna scelus:
Eva dolore parit, per humum convolvitur Anguis;
Sudando munus panis Adamus habet.

AD CÆSAREM EQVITEM. 610.

Cæsar ego Vates, Cæsar tu diceris Heros,
Alter ab alterius nomine nomen habet:
Cura, laborq; impar; tamen est par nomen utriq;
Quæ facienda, cano; quæque canenda facis.

AD MEMMIUM DIVITEM. 611.

Quinque tibi Natæ, totidem, charissime Memmi,
Sunt Neptes, jungi quælibet apta viro:
Mox dotem poscent, solvet tua dextera dotem,
Nec minues, Genitor quas tibi liquit, Opes.

AD PHILIPPUM
REGNANTE URBANO VIII.
PONTIF. OPT. MAX. 612.

Obtulit ex auro tibi falsa numismata frater,
Ex quo te Prætor credidit esse Reum;
Debuerat periisse caput pro crimine in Vrbe,
Te tamen incolumem docta Minerva facit.
VRBANVS Romam supremo Jure regebat,
Cui triplex mellis munera condit APIS,
Atque hec tunc inquit, Pallas promiserat Ostrum,
Tollo Ostrum, tutum reddo, Philippe, caput.

AD PAVLAM. 613.

Naturæ multum debes; magis omnibus una,
Paula, mites teneris imperiosa genis:
Æquoreis undis domus est tibi proxima, Siren
Crederis, aut pelagi è fluctibus orta Venus.

SVPRA BIBLIOTHECAM. 614.

Si cupis ingenuas acquirere Palladis artes,
Hæc tibi præstabit Bibliotheca libros.

AD BYTHINNICUM. 615.

Exiguos obulos poscis, Bythinnice, egenus;
Sed quia fur fueras anteà, nemo dabit.

AD MARCUM. 616.

Tres phialas plenas mittis mihi, Marce, falerno;
Tres dederam pretio nobiliore libros.

AD AVITVM DE AVFIDIO. 617.

Claudicat Aufidius, sequitur dum prælia Martis,
Ad tumulum citiùs curret, Avite, suum.

AD BYTHINNICVM. 618.

Ebrius,& miles,Bythinnice, diceris idem:
Sic tibi pugnanti cornua vina dabunt.

AD OLLVM. 619.

Nunc est longa dies,nunc est brevis,Olle,vicissim:
Non aliter poterant hæc Elementa regi.

AD CÆSAREM EQVITEM. 620.

Cæsaris augustos jungis cum nomine mores,
Et monstras gestis noscere plura tuis.
Et gladio, & calamo fulges; sic Cæsar utroque:
Plausus tùm fortis, tùm sapientis habes.

AD EVNDEM. 621.
Post nemora, & montes, post oppida, flumina, & arva
Aspectuque tuo, luminibusque fruor:
Gratulor incolumē quòd te pia Numina servent,
Et viget in blandis firma Juventa genis;
Quæ nent humanæ pendentia stamina Vitæ,
Dent tibi felices Fata videre dies:
Castalides Musas, Pindum, Phœbumque movebo,
Teque canam memori carmine, Avosque tuos:
Interea vivas. & me tueare Pöëtam;
Virgilius fiam, si mihi Cæsar eris.

AD PAVLVM. 622.
Parvula planta velut matris se subijcit umbræ,
Sic me subdo tuis, Paule, patrociniis.

VINVM GRATVM POETIS. 623.
Ferventem semper dilexit Apollo Lyæum;
Deficiant Vati pocula, vena deest.

BACCHUS. 624.
Cui rubet Os musto, Crinis cui cingitur uvis,
Est Bacchus, Semeli charus, & ille Jovi.

AD AMICVM. 625.
Fama mihi fumus, fumus tibi fama putatur;
Quod fugio, sequeris; quod sequeris, fugio.

AD LINVM. 626.
Carperis à vitiis; carpis, Line, lividus omnes:
Luxurie porcus, dente putaris Aper.

DE CÆSARE DYNASTA. 627.
Fulmineam Cæsar tumidus dum cōstruit Arcem,
Et sperat fastus nobilitare suos,
Juppiter è Cælo vidit primordia Molis;
Et sua præcurrit tota per ossa pavor;
Aut opus Enceladi, vel credidit esse Typhæi,
Qui nova tentarent bella timenda polo;

Fulmina corripuit vindex, Ignesque trisculos,
Machina & occubuit contumulata solo :
I nunc, I tumidos tollas super æthera fastus;
Vivere quod speras, conterit Ira Jovis.

AD LINVM. 628.

Nec citò, nec casu peragas, Line, quidquid agendū;
Sed mora Consilii quodque gubernet Opus.
Errorum genitor Casus; nil Impetus umquam,
Quod laudes mereat, quod celebretur, agit.

AD SCVLPTOREM. 629.

Inceptum miramur opus, quod fingere tentas;
Sed postquam fictum est, nil, Line, laudis habet.

RELIGIO ROMAM AVXIT. 630.

Romulei Imperii totum diffusa per Orbem
Majestas Vrbes terruit, & populos.
Ampla per augustos Romana potentia fines
Processit, parvo tempore adaucta fatis :
Quid Romam fortem fecit ? non arma, nec ausus,
Sed Divûm Cultus, solaque Religio.

NERO SENECAM MORTE DAMNAT. 631.

Quid Senecam damnas crudeli funere, Romæ
Vipera, & Imperii dedecus ipse tui ?
Divitias ambis quotquot præceptor in Arca
Possidet ? an regni perdere jura times ?
Ambitio patrasse facit quot crimina fiunt,
Aut auri optati pessima Avarities.

DE COSMO. 632.

Basia dat Cosmus Quinctillæ, jurgia sentit :
Quidne Odium faciet, si facit illud Amor?

PLUVIÆ. 633.

Nocte, dieque pluit; redierunt sæcula Pyrrhæ;
Sentimus rursus Deucalionis aquas.

HYEMS.

HYEMS. 634.

Nix operit terras, & grandinis horridus Imber;
Labentes amnes obriguere gelu:
Aëra per vacuum metuenda tonitrua Juno
Duplicat, & turres fulmina lapsa premunt:
Ante focum potare licet fortissima Bacchi
Munera, sic frigus, quod riget, exul erit.

FAC BONVM, ET DECLINA A MALO. 635.

Evita quodcunque Malum, fac quidquid Honestū:
Non nisi Momentum Vita, Memento mori.

POTATOR VENENI. 636.

Hic Cyathus Navis; Ratio temo; unda venenum;
Remigium potus, Mors mihi portus erit.

HONORA PATREM, ET MATREM. 637.

Et Patri, & Matri multum debetur Honoris:
Commoda pro Natis hic parat, illa parit.

AD AFRAM MORIENTEM. 638.

Et misera, & felix moreris; nam tempore in uno,
Et Vitæ finem ponis, &, Afra, fami.

AD BYTHINNICVM. 639.

Si pereas, cui das animam, Bythinnice? Cælo:
Cui corpus? Cęno; cætera? filiolis.

MVLIER IN PARTV PERIT. 640.

Infelix genitrix, prolem dum gignit, obivit;
Sic pereundo parit; sic pariendo perit.

AD CÆSAREM. 641.

O redeas iterum, Cæsar, Sirenis in Vrbem;
Vrbs optat reditus obsequiosa tuos.

AD PAVLINVM. 642.

Infamas, Pauline, meos cur pessime Mores?
Quid carpis vitæ facta pudica meæ?
A quo sperabam dulcissima munera lucis,
Obscuras tenebras cogor in ore pati.

AD FABIANVM. 643.

Stat, Fabiane, tibi juvenili in corpore robur,
Quid fidis? febris te necuisse potest.

AD PONTICVM. 644.

Taurorum pelles, quot sunt tibi, Pontice, vendis:
Cornua Taurorum sunt tua, nullus emit.

DE PHYLLIDE. 645.

Dum sedet accensos dulcissima Phyllis ad Ignes,
Ornatas crepidas flamma proterva cremat;
Forsitan illius captus Vulcanus amore
Oscula tentavit blanda dedisse pedi.

ADONIS. 646.

Per montes sequitur lepores dum pulcher Adonis,
Illum sanguineo vulnere læsit Aper:
Vt Venus extinctū pulcherrima vidit amantem,
Vngue petit teneras, quas rigat imbre, genas.
Transiit in florem Cynaræ spes unica; Aprilis
Nunc Risus, Veneris qui fuit ante Dolor.

AD LÆLIVM. 647.

Raptor es,& mæchus;duo sunt tibi crimina, Læli;
Succida Luxuries, sordida Avarities.
Non tibi sufficiunt oculi spectando puellas;
Non tibi sufficiunt diripiendo manus.

AD HARPALVM DE FABIO. 648.

Mutavit nomen Fabius, non, Harpale, mores:
Evasit Prædo, qui modò Prætor erat.

AD

## AD PAVLVM. 649.

Ad lautam cænam nuper te, Paule, vocavi,
Sed tu sprevisti terque, quaterque dapes;
Nunc torquente Fame, cænam quærendo precaris;
Non cænam, cænum, quo satieris, habes.

## HOROLOGIVM PROPE BIBLIOTHECAM. 650.

Sol refluas horas metitur lumine, & umbris
Hic, ubi conservat Bibliotheca libros;
Scilicet ut studeas quantum tibi certa Voluntas,
Ante oculos certo limite tempus habes.

## CHRISTVS CRVCI AFFIXVS. 651.

Hic est Cælorum Dominus sub imagine servi,
Vt servos Dominos reddat, & ille Deos;
Quid Clavi? Sceptrum: Spinæ? Diademata; Sanguis?
Purpura; Crux? solium; quis sibi Lictor? Amor.
Quisquis opus spectas visu mirabile, fleto;
Delebit fletus crimina, quotquot habes.

## AD PORTIAM. 652.

Pulvere dum cyprio diffundis, Portia, crines,
O quot Amatores solveris in cineres!

## AD PONTICVM. 653.

Falsificas dentes, necnon et, Pontice, crines;
Quis neget & falsam moribus esse Fidem?

## VINEA PROPE MARE. 654.

Inspicit è pelago Bacchum pulcherrima Tethys,
Et calet accensis Ignibus inter aquas;
Quàm formosa viget formoso palmite Vitis,
Explicat & virides Vinea pulchra comas!
Plurimus aërio pendet de stipite botrus,
Ferventisque meri dona racemus habet:
Agricolæ explebit felix Vindemia Votum,
Ditabitque novo plena liquore cados;

Arte vigent vites, frondescit, & arbutus arte;
Nil usquam visu pulchrius esse potest.

ROMA, ET NEAPOLIS. 655.
Parthenopæ generosus Equus dat nobile stemma;
Sed quid dat Romæ nobile stemma? Lupa.
Illa habet effrænes animos, hæc quærit honores,
Nec sua Vota Fames ambitiosa replet.

AD CÆCILIANVM. 656.
Romulus, & Remus fundarunt mænia Romæ,
Scriptorum veterum sic monumenta docent:
I pete Romuleas Arces, collesque Quiritum,
Atque palatinas, Cæciliane, domos:
Romulus optatos si fortè negabit honores,
Qui tibi contribuat præmia, Remus erit.

AD PÆTVM. 657.
Ære crumena tibi gravis est, quis, Pæte, negabit?
Sed Caput Ingenio, Judicioque leve.

PARADISVS. 658.
Est locus excelso Cælorum in vertice ab annis
Æternis alti Numinis alta Domus,
Divitiæ hic omnes, hic omnia gaudia sedem
Imperturbatam constituere suam.
Deliciis cunctis refluunt pomaria, & Horti
Florea perpetui tempora Veris habent:
Arte laboratis dapibus convivia fervent,
Omniaque esca eadem dona saporis habet:
MilleLyras, totidem cytharasSymphonia pulsat,
Et fremit omnisonum, sed sine fine melos;
Vranie æternos addit per sæcula cantus,
Felices Animas qui rapiendo beant.
Est procul hinc Luctus, procul hinc & tristis Egestas,
Pauperies, Gemitus, cumq; Dolore Fames:
Nomine vulgato Paradisus dicitur; in quo
Contentus vivit quique videndo Deum,

AD

AD HARPALVM. 659.

Omnia cruda mihi fecit Coquus, Harpale; pugnis
Corripiam, fiet vel mihi cruda manus.

AD LINUM. 660.

Ore senex quàmplura facis, Line, vulnera Matri;
Qui Canus fueras, incipis esse Canis.

ROMAM PETIT. 661.

Lora damus ratibus; Nimbus cessavit, & Imber:
Decidit, in pelago qui fuit ante, fragor.
Æolus æquoreos frænavit carcere ventos,
Flamine deposito, sæva procella tacet:
Cajetam celeri cursu, Circemque legamus;
Expectat versus Martia Roma meos.

AD EVNVM. 662.

Misisti nuper nostris absynthia Musis;
Mitto Aloëm munus; sic sumus, Eune, pares.

ÆSTAS. 663.

Æstuat ignitus radiis ardentibus Aër,
Oreque flammivomo Syrius urit agros;
Nunc opus est umbris levibus, vel dulcibus auris,
Vel vitreis rivi prætereuntis aquis:
Nec roget amplexus Cloris, nec basia Phyllis;
Tempore in æstivo suspiciosus Amor.

AD PONTICUM. 664.

Ulcus erat mammas inter tibi, Pontice, obortum;
Neve dabat Medicus, neve Chirurgus opem;
Te petit interea gladio temerarius Hostis,
Et pupugit pectus, pestiferamque luem;
Morbus abit, fluxitque atro cum sanguine tabes,
Et rediit, fibris qui fuit ante, vigor.
Profuit, haud nocuit, quis credet? proditor; atque
Attulit auxilium dextra, datura necem.

AD

AD MARIANVM. 665.

Mox veniam Romæ Capitolia visere, & Vrbem;
Sit promptus Lectus, sitque parata Domus.
Quòd te sæva premat, doleo, Mariane, podagra;
Plus doleo, affligit sæva chiragra Coquum.

DE DVOBVS AMICIS. 666.

Corpora bina quidem, Mens attamen una duobus;
E' Vita pendet Vita, Fideque Fides.

AD PONTIANUM. 667.

Scribis carmina, Pontiane, metro
Tàm dulci, lepidoque, vividoque,
Quòd laudes recipis, probante toto
Cœtu Mæonidum sales, jocosque
Argutos, tenerosque, candidosque:
Currit per populos, volat per Vrbes
Jam Fama, & celebrat sacras camænas,
Et Musis madidas, Deoque carthas:
Luget Bilbilis ad tuos triumphos;
Jam carpit virides Thalia lauros,
Sertum nobilius datura crini.

AD CÆCILIANUM. 668.

Albasti muros; vitreis, pictisque fenestris
Ornasti antiquam, Cæciliane, domum:
Expensas factas quoniam persolvere debes,
Pauperior nunc es, qui modò pauper eras.

AD PONTICUM. 669.

Commata venaris Scriptoribus insita priscis;
Quæ nova, fastidis; antiquiora probas:
Sic non laudari, contemni, Pontice, quæris:
Prima ætas gravis est, sed benè culta parùm.

AD ALANAM. 670.

Exoptas sobolem, prolemque, & pignora habere,
Cùm tibi divitiis scrinia plena fluant!

Quod velles Natura negat contraria Votis,
Clausa tibi vulva est, nec peperisse potes:
Quidquid habes capient post facta extrema Nepotes,
Abnuis? hæredem me fac, Alana, tuum.

AD HARPALUM. 671.

Hostis, es Hispanis, crudelis & hostis Iberis,
Admiror mores, obstupeoque tuos:
Occidis Gallos, & vesceris, Harpale, Gallis;
Postea cum Gallis fædera pacis amas.

DE PORCIO. 672.

Ore macer fuerat, contraxit Porcius ulcus,
Protinùs evasit pinguis, & intumuit.

AD LÆLIUM PANE, ET VINO. 673.

Et Panem, & Vinum monstras cognomine, Læli;
Num Pistor genitor? num tibi Caupo fuit?

AD EVNDEM. 674.

Et panem, & vinum cognomine claudis eodem,
Est tibi, quod comedas; est tibi quodque bibas.
Sed tamen admiror, Læli, stupeoque vicissim,
Teque premente fame, teque premente siti.
Inter aquas, & poma inter par Tantalus hæret;
Nec tetigisse potest poma, nec unda juvat.

AD FABIANVM. 675.

Lustra tibi fluxere decem cum quatuor annis,
Et novisse rudis grammata prima cupis:
Cura levis, vanusque labor, ridenda Voluntas;
Hoc opus est pueri, non, Fabiane, senis.

AD OLLVM DE AVFIDIO. 676.

Arguit Aufidius Romani Principis acta,
Perdidit abscissum protinùs ille caput:
Funere ab alterius documēta hæc imprime menti,
Heroës magnos plaude, vel, Olle, tace.

### AD MARCVM. 677.

Roma cudit Paulos, Hispania, Marce, Philippos;
Hisce tibi, atque illis plena crumena sonat:
Omnibus ostendis formosa numismata, at erras;
Hoc est ad furtum sollicitare manus.

### DE PAVLO. 678.

Quidquid agit, benè Paulus agit, quia Spiritus olli;
Nec rigidus Momus, quod reprehendat, habet.

### AD AFRINAM. 679.

Progeneras sobolem, cùm sit vir gignere ineptus;
Nempe maritalem fallis, Afrina, fidem.

### AMANTIS VOTVM. 680.

Pendulus optarem periisse è stipite: fiat
Funis Amor, Phyllis furca, cadaver ego.

### AD PONTICVM. 681.

Luxuries rapuit dextrum tibi, Pontice, fæmur;
Ex ligno fæmur reddidit arte Faber.
Nunc rapit hoc iterū tibi, Pontice, pessimus Ignis.
Sic Vulcanus obest, obfuit ante Venus.

### AD PAVLINVM. 682.

Si furiis dominus, Pauline, calescit, & ira,
Aut mutus taceas, protinùs aut abeas:
Acriter irato facias ne verba loquenti;
Nam fiet, quamvis sit levis ira, furor.

### AD PAVLVM. 683.

Hospitium tibi, Paule, dedi; tu diripis aurum:
Dic igitur nobis, Hospes, an Hostis eras?

### AD JVLIAM. 684.

Purpureas Aurora genas tibi, Julia, tinxit;
Pulchraque candidulas præbuit Alba manus:
Astra oculos fecere tuos, queis lumen adauxit
Lucifer, Eoas inter adortus aquas.

Ar-

Argutos Cytharea modos, jucundus Aprilis
Dat risum, mores Gratia, verba Jocus.
Nec tibi cor tumeat, veniet mox funeris hora,
Et pulvis, cùm vix, Julia, reris, eris.

DOLOR DENTIUM. 685.

Sæva mali species nostro sis eminùs ore,
Deprecor, & cessa carpere cæca genas;
E' capite, èque oculis distillas pessima furtim,
Inque paris vultu perniciosa luem;
Et queror, & doleo; contristor, & ingemo semper,
Neve graves gemitus continuisse queo;
Non tantos patitur Tityus, ceu credo, dolores,
Vulture cum fibris dilacerante jecur:
Tormentum majus non arbitror esse sub Orco,
Quod possit miseros excruciare reos:
Fercula neve datur, mihi nec contingere potum;
Auget ènim pænas potus, & esca meas:
Os venerare fatrũ, loquitur quo magnus Apollo,
Castalides promunt & sua verba Deæ:
Abscedas, aliter te detestabor Jambis,
Et faciam lentæ pænituisse moræ.

MUTIUS SCÆVOLA. 686.

Scævola Porsennam tentavit perdere ferro,
Sed frustrà cecidit nobilis ictus onus:
Errorem purgat generoso Mutius Igne,
Deceptamque urit vivida flamma manum.
Dum Porsenna stupet tantæ spectacula dextræ,
Sint quamvis flammæ proxima, mẽbra gelant:
Et corde & vultu intrepidus tunc Mutius inquit,
A dextra discat læva ferire manus:
Dextera quanta foret, qualisque, agnoscito ab uno
Vel combusta Hostes terruit illa suos. (hoc,

AD PONTICUM MALUM THEOLOGUM. 687.

Quid spes, quidve Fides, quid Amor sit, Põtice, no-
Nec tibi spes, nec Amor, nec tibi sacra Fides. (scis:

CVRTIVS ROMANVS. 688.

Ore ruinoso metuenda patebat in Vrbe
Horrida portentis ampla vorago suis:
Scinditur ambiguum varia in præsagia Vulgus;
Quid ferat Ostentum, certaque causa latet:
Vectus Equo præceps accurrit Curtius, & se
Protinùs in foveam, nil metuendo, dedit:
Hæc ait interea, moriar datus Hostia Monstro,
Fiat ut incolumis Patria, Vita cadat.

AD LÆLIVM. 689.

Carmina, quæ scribis, minioque, auroque coloras,
Et magni Vatis nomen habere cupis:
Deciperis; sunt bella quidem tua carmina, Læli;
Sed re, sed verbis ingeniosa parùm.

DE AVFIDIO. 690.

Contrahit Aufidius sponsalia tempore Tauri,
Contrahat ut Capri tempore jura thori:
Cornua conjugium hoc, spectato tempore utroq;
Indicat; Aufidius Taurus, & Hircus erit.

REGNANTE INNOCENTIO XII.
PONTIF. OPT. MAX. 691.

Spes, Amor, atque Fides triplici fulgescit in Olla:
Olla igitur vivat, regnet & Olla diù.

DE EODEM. 692.

Olla triplex regnat; paupertas, abiice fletus;
Ore tibi inverso, quæ capit, illa dabit.

DE FABIO. 693.

Semina Telluri committit tempore brumæ,
Colligat ut segetes, cùm calet ore Leo.
Sic novat alternos Fabius, finitque labores,
Sic messis messem ditat, & auget opes.

AD

AD POSTHVMVM ORATOREM. 694.

Mens venter, Rhetor mulier, facundia partus:
In verbis ludit noſtra Thalia ſuis.
Antè gemit mulier, poſt partũ, Poſthume, gaudet:
Anteque, poſtque doles; trita loquendo paris.

CHRISTI VRNA. 695.

O felix tumulus, fortunatumque ſepulchrum,
Quo nil divitius, nobiliuſque nihil.
Claudere Naturæ Artificem tibi contigit uni,
Et qui conſilio cuncta Elementa regit:
Te fuſis lachrymis amplector, & oſcula figo;
Te ſpecto obſequio ſupplice, teque colo.
O utinam poſthac veniat mihi funeris hora,
Quod majus poſſim cernere, in Orbe nihil.
Mauſoli Regis tibi cedat, & Vrna Neronis;
Clauſerat illa homines, tu capis una Deum.

AD LIBRVM SVVM. 696.

I liber, i totum fama reſonante per Orbem,
Argutus lepidis diceris eſſe Jocis:
Te fortaſſe leget felix Hiſpania plauſu,
Admirata ſales, Ingeniumque tuum:
Roma dabit laudes, quoniam te noſcit, amatque;
Nec ſpernet quidquid pulchra Vienna doces:
Bilbilis invidia ardeſcet ſpectando lepores;
Nam tentas Vatem vincere poſſe ſuum.

AD MARIANVM. 697.

Per campos defertur Apis, bibit inde liquorem,
Ex quo dædalea fabricat arte favos:
Sic ego Scriptorum diverſa volumina voluo;
Posteà ab epoto, quod legis, exit opus:
Nil eſt, quod noſtrum non ſit, Mariane, putandũ,
Quantumvis Veterum cuncta ſequantur iter.

EXERCITVS AMNI COMPARATVR. 698.

Par eſt currenti refluens Exercitus Amni,
Et magnum populis gignit uterque malum:
Am-

Amnis enim perdit camposque,& prędia,& agros,
Et segetes mergit turbidus inter aquas;
Spesque suas luget Fossor,charosque labores,
Tristia & emissis fletibus ora rigat:
Devastat miseras Vrbes Exercitus armis,
Ferro alias, alias destruit Igne domos;
Quique suas deplorat opes in funere mersas,
Neve potest lachrymis imposuisse modum!
Hoc unum est dispar: rebus nocet Amnis, at Agmen,
Cum rebus lædit debita Jura Deo.

ALEXANDER MAGNUS. 699.

Militibus paucis Asiamque, Orbemque Macedo
Invasit, Votis Marte favente suis:
Innumeros hostes domuit, populosque subegit,
Et vicit quidquid vincere vix poterat.
Plurima Consilio temeraria sæpe putamus,
Eventus felix quæ tamen æqua probat.

AD LICTOREM S. LUCIÆ. 700.

Nequidquam Luciæ oculos rapis, improbe Lictor;
Effossis oculis sic magis Astra videt.

INFERNUS. 701.

Est locus horrificus centro Telluris in imo,
Infernum dicunt nomine,eumque vocant:
Ordine murorum triplici circumdatus horret,
Post hos immensis Ignibus Amnis abit;
Ærea Porta riget ferrato cardine, & ante
Ore cruentato plurima Monstra vides:
Hìc Colubri,hìc Hydrę,hìc Scyllę,ſęvęq;Chimerę;
Harpyjæque fremunt, tartareique Canes;
Intùs habet sedem cunctorum turba malorum,
Quæ torquent miseros, excruciantque Reos:
O qualis gemitus medias consurgit ad auras!
O qualis fletus missus ab ore fluit!
Evitare cupis pænas,queis urget, & angit?
Justitiam noli spernere, neve Deos.

AD CONCIONATOREM. 702.

Efca tibi eloquium, lingua eft tibi nobilis hamus,
Pro pelago templum, quod veneramur, habes:
Innumeras Animas patrio pifcaris Olympo;
Quod Petrus quondam fecerat, arte facis.

AD LÆLIUM CAUSIDICUM. 703.

Jura colis, Læli, fed nulla, aut parva lucraris:
Lucrari quæris plurima? rura colas.

AD BYTHINNICUM. 704.

Virtuti Comites duo funt, Bythinnice, femper,
Invidia infelix, & malefana Fames.

S. FRANCISCUS BORGIA. 705.

Imperii Auguftam Dominam, fceptroque potenti
Clauferat in pheretro Mortis iniqua manus,
Fugerat è pulchro Majeftas inclyta vultu,
Languebatque, genis qui fuit ante, color;
Fœtor erat conjux, genitrix, & filia Regum,
Horroremque oculis putrida forma dabat:
Conftitit affimilis lapidi Francifcus, ut illam
Vidit, & immoto fletus ab ore fluit:
Humanos faftus ftatuit contemnere, & Aulam,
Et quidquid Sortis dextra dediffe poteft;
Loyolæ adfcripfit magno fe corde cohorti,
Serviat ut Voto liberiore Deo:
Plurima Virtutum poft munia Lætus ad aftra
Confcendit, meritis jam gravis ille fuis:
Profuit exanime O quantum vidiffe cadaver!
Felix Vita illi Mors aliena fuit.

AD ASTROLOGUM. 706.

Aftrologus quotquot Cælo funt fidera, fervas;
Et quæ vifa priùs, fcripta papyrus habet:
Omnia fervafti, excepto Tauroque Caproque;
Nempè tuæ puduit cornua nofse domus.

## DE FABIO. 707.

Sanus erat Fabius, sed postquam creditor aurum
Exposcit, febri fervet, & ille calet.

## INNOCENTIJ XII. PONTIF. OPT. MAX. EPITAPHIUM. 708.

Extinctus dormit pulchra hac Antonius Urna,
Stemma cui patrium fecerat Olla triplex:
Post Mitram roseo fulgens circumdatus Ostro
Parthenopen rexit Pastor, & ille Pater;
Post Ostrum crines decoravit in Vrbe triregnum,
Officio meritis conveniente suis.
Plura quidem fecit quæ Roma stupebit, & Ætas,
Dum Sol luminibus replet utramque Domum.
Romanas contempsit opes, fastusque superbos,
Nil sibi servavit dextra, deditque suis.
Omnia pauperibus suffecit, & omnia Egenis;
Inter thesauros visus habere nihil.
O felicem Animam! Cæli super Arce triumpha,
Subdita enim pedibus cuncta fuere tuis.

## ALEXANDER MAGNUS IN AMNE PYRAMO. 709.

Actus Alexander ferventi pulvere, & æstu
Cogitat in Pyrami mergere corpus aquas;
Vestibus armigeris positis, descendit in amnem,
Seque beat vasto in gurgite, seque lavat:
Sed postquam fibris concepit frigus ab undis,
Totus ab exanimi fit procul ore calor:
Languet, & assimilis morienti contremit artus,
Et spem vivendi quique deesse putat;
Sed vivet felix, anima redeunte, Macedo,
Sic sua fata volunt; sic sua fata jubent.
Europamque, Asiamque omnem sibi subdet, & Or-
Quique illum capiat, nec satis Orbis erit. (bem;

AD

AD JVLIAM. 710.

Nupsisti pauper; pauperrima, Julia, vivis:
Mox claudes luci lumina pauperior.

AD PONTICVM. 711.

Vna tibi conjux, triplex tibi, Pontice, pellex;
Luxuriem satiat nec tibi tanta Venus.

ARMA, ET LEGES. 712.

Quælibet exposcit leges Respublica, & arma,
Queis possit populis consuluisse suis:
Arma Hostes terrent, plectũt mala crimina leges;
Legibus, atque armis statque, vigetque quies:
Sed præsunt armis leges; arma omnia perdunt,
Conservant leges, quotquot habemus, Opes.

AD CROSCONIUM. 713.

Indignor, quia nulla sapis, nec vivis honestè,
Et dat, Crosconi, Sors tibi cæca Togam.

AD NESTOREM. 714.

Quotidiè paucos obulos das, Nestor, egenis,
Et laudat mores Vrbs, populusque pios:
Quidquid patramus pro Cælo, animaque, Deoque
Emeritos plausus sentit, & illud habet.

AD OLLUM. 715.

Ignibus accensis spicas impone Cilissas,
Olle, & odoratis thurea dona focis;
Florentes violas, virides & dextera lauros
Effundat, monstret gaudia tota Domus:
Jam rediit festiva dies natalis Avito,
Quæ puero cunas officiosa dedit:
Ferveat in cyathis Bacchus, lancesque frequentes
Fumescant, repleant fercula mille gulam:
Sit procul hinc Luctus, procul hinc cũ Funere Mæ-
Dumtaxat Charites dentq. ferantq; Jocos: (ror,
Longævos annos numeret dilectus Avitus,
Qui vestit teneras prima Juventa genas;
Ille

Ille tibi accedit conjunctus sanguine Avorum,
Participat stirpem, participatque genus:
Adde quòd est animo simplex, & pectore honestus,
Nec fraudes novit texere, neve dolos:
Palladis exercet multis cum laudibus artes,
Callet & argutæ dulce Pöësis opus:
Si Lachesis Vitæ producat stamina, cedet
Mæonides; fuerit vel minor arte Maro.

SVPRA DORSVM MEVM FABRICAVERVNT PECCATORES. 716.

Ædificat quisquis, firmo in fundamine tectum
Constituit, sperat nec cecidisse domum:
Fabricat in Christi tergo peccator, & inde
Infelix tutum se putat, atque facit:
Sed cùm vix credit, Divina movebitur Ira,
Et quod supplicium jam meret, ille luet.

MILITES IN ARCE. 717.

Militiis munita suis gens plurima in Arce
Hostiles stabat despiciendo minas,
Deficiunt alimenta gulæ, queriturque, doletque,
Atque rigat miseras fletus utrinque genas:
Quas Animus dederat, vires effregit Egestas;
Et Marte indomitos edomat atra Fames.

AD PONTICVM. 718.

Vxor habet clausam vulvam, tibi mētula friget;
Quam sobolem speras, non habuisse potes:
Filiolos Caii, aut Bassi tibi, Pontice, adopta;
Quod Natura negat, regia jura dabunt.

AD POSTHVMVM. 719.

Adversos casus discas sufferre libentèr,
Posthume; non semper sæva procella strepit:
Nunc est pacatus vultu, nunc turbidus Aër,
Nunc cæcas tenebras, nunc habet ille jubar:
Quidquid cōstantèr ferimus, non displicet unquā:
Gaudemus semper, despiciendo Malum.

CHRI-

### CHRISTVS IN PRÆSEPIO. 720.

Frumentum est Christus, paleas super incubat or-
Vt quo pascaris, mox tibi Panis erit. (tus:

### SOL. 721.

Sol inter Cæli lucentia Sidera solus
Eminet; hinc Solis nomina solus habet.

### URBS VENETA. 722.

Urbs Veneta, & Venus est pelagi de fluctibus orta;
Pulchra Venus, Veneta pulchrius Vrbe nihil.

### AD PONTICUM. 723.

Sors tibi & argento replevit scrinia, & auro;
Quot servas, nullus, Pontice, servat opes:
Quod tamen admiror, tibi maximus Ardor habẽ-
Et cùm possideas plurima, plura cupis. (di,

### AD CLEOPATRAM. 724.

Quid mammis, Cleopatra, tuis das Anguis hiatũ?
Vulnera nec curas? neve venena times?
Fæmineo monstras animos in corde viriles,
Et tractas colubros, & cupis inde mori:
Sed moriare licèt, per sæcula Fama manebit,
Et facti vivent hæc monumenta tui.

### DE FABIO. 725.

Est Vrbis Pastor Fabius, modò venit ut Agnus;
Sed subitò factus creditur esse Lupus.

### HELENÆ EFFIGIES. 726.

Hæc est Menelai vultu pulcherrima conjux,
Imperiosa oculis, insidiosa genis:
Et bello quondam destruxit, & Ilion Igne;
Nunc spectatorum corda tuendo cremat.

### ROMA. 727.

Hydra quidem Roma est, colles habet inclyta se-
Pro Lerna magni Tybridis unda fluit: (ptem,

Quisne Vrbis tantæ pompas,fastusque domabit?
Fortius Alcide non nisi Tempus erit.

AD OLLVM. 728.
Nox erat, & gelido è Cælo Nix alta cadebat;
Nux tetigit, pressit Nex tamen, Olle, gregem.

AD CÆCILIANVM DE FVSIO, 729.
Fusius in speculo se se conspexit, ab illo
Mutavit mores, Cæciliane, suos;
Esse genis pulchrum se credidit, unde tumebat:
Nunc se deformem vidit, & obmutuit.

AD PONTICVM DE SE. 730.
Magnificos titulos alii sibi, Pontice, quærant,
Et prætextatas purpureasque togas;
Rex sum;dum juvenes doceo;mihi ferula Sceptrũ,
Discipuli populus, Regia Gymnasium.

INSTABILITAS FORTVNÆ. 731.
Sunt qui de campo veniunt ad nobile regnum,
Et vastos populos sub ditione premunt:
Sunt qui de regno veniunt ad prædia, & agros,
Expurgantque herbis, graminibusque solum:
Est levis humanæ metuenda potentia Sortis,
Mutat & instabiles imperiosa vices,

AD POSTHVMVM. 732.
Sollicitas quoscunque vides,quoscunque tueris;
Sive nurus hi sint; Posthume, sive mares:
Sordida Luxuries hæc est: vis castior esse?
Lascivos oculos, Posthume, claude tuos.

NODVS GORDIVS. 733.
Implicitum nodum Pellæus conspicit Heros;
Insertos nexus nexibus ore stupet:
Arte, vel ingenio dissolvere vincula tentat,
Nec reperit primum sedula dextra caput:
Tunc

Tunc ira accensus fatalem proripit Ensem,
Et quod non poterat solvere, rupit Opus.
Sic non eludit præsagia Sortis, adimplet:
Quidquid enim spondent Omina, Victor habet.

AD BYTHINNICVM. 734.

Vita tibi infelix, quoniam, Bythinnice, torquet
Luce podagra pedes: nocte chiragra manus:
Altera lascivum castigat, & altera avarum,
Par equidem meritis utraque pæna tuis:
Ad Scortum nunc ire soles, nunc inde redire,
Et quæ promittis dona, dedisse negas.

AD PONTICVM. 735.

Bis dentes doluere mihi, dum, Ponticè, vixi;
Sed nequeo pænas explicuisse meas:
Nempè fuit sævi violentia tanta doloris,
Quòd possum hoc unum dicere, bis perii.

AD OLLVM DE LISANO. 736.

Tolle caput primum de nomine, cætera vertas
Grammata, Lisanus quid sonat, Olle? Asinus,

AD AVLVM. 737.

Atra fames, & sæva sitis te torserat, Aule,
Anteà; nunc pingues sunt tibi utrinque genæ:
Mutasti cùm sorte domum; stas ante tabernam,
Nempè dapum fumo vesceris, atque meri.

AD PAVLVM. 738.

Quid sint divitiæ, quæris? ludibria sortis;
Fortunæque levis dona caduca putes:
Nunc tibi fulgescunt pallentia scrinia ab auro,
Et nunc affligit guttur iniqua Fames:
Quilibet in puncto fieri de divite pauper,
Et dives fieri è paupere, Paule, potest.

DVCIS MEDINÆ CÆLI QVADRIGÆ. 739.

Quos Currus specto! sunt hæc miracula in Vrbe:
Traxisse hi possent, qui regit astra, Jovem.

VESVVIVS, MOLES ARTEFACTA, ET PORTATILIS.

AVTHORE ALOYSIO DE ZERDA MEDINÆ CÆLI DVCE PROREGE. 740.

Hic est Ignivomo celeberrimus ore Vesevus,
Eructatque suas, arte fovente, faces:
Omnia stant circum ficta sub imagine Regna,
Quæ regit Hispani dextera sacra Jovis:
Magnanimū Regem plaudunt; Aloysius Author
Est Operis, cujus Fama per astra volat:
Principis ô semper miranda potentia in Vrbe!
Immotos Montes ire, redire facit.

DE PHYLLIDE. 741.

Alta erat in terris glacies, frigebat & Aër,
Jam mea quatruplici membra tegente toga:
Transiit interea vultu pulcherrima Phyllis,
Et fervente æstu, sæva recessit Hyems:
O quantum potuit species gratissima formæ!
Progenuit flammas hìc, ubi frigus erat.

DENIQVE MORIENDVM. 742.

Occasum sentit postquam Sol extulit Ortum;
Sidera nunc surgunt, nunc obeundo cadunt:
Nunc æstu effervet pelagus, nunc mite quiescit;
Nec strepit undivomo qualiter ante sono:
Nunc flores generat Tellus, & ridet in illis;
Nunc sterilis mæret languida facta solo:
Nunc grata est Phyllis flavis ornata capillis;
Nunc eadem canis displicet alba comis:
Omnia mutantur; nil vultu permanet uno;
Vivimus heu miseri nos quoque, & emorimur.

AD ALANAM. 743.

Aufidium fratrem dicis, sed dicito Amicum.
Oscula, & amplexus das, &, Alana, rapis.

VIN-

VINDEMIA. 744

Hic ubi sanguineo spumat Vindemia Baccho,
  Atque novi effervet nobilis Unda meri;
Mille jocos formosa Venus, dulcisque Cupido
  Miscet, & arguto spargit ab ore sales:
Alternis pedibus per gramina Gratia triplex
  Gestit, & exurit condita flamma sinum:
Cum teneris pueris ludunt, gaudentque puellæ,
  Inguina verborum sollicitante sono:
Inspicio, & lætor; gratum est vidisse jocantes;
  O refluat, dempto Vespere, longa dies.

ROMA NOVA, ET ANTIQUA. 745

Roma recens, & Roma vetus longè utraq; distat
  Ista Deum noscit, noverat illa Deos.

URBS VENETA. 746

Urbs est Adriacis latè celeberrima in Undis;
  Unica ceu Phænix, nobilis inter aquas;
Hanc Heneti, sic prisca docent annalia rerum
  Fundarunt, sedes quæ sibi certa foret:
Nunc Venetos dicunt corrupto nomine Cives,
  Integritate bonos, Relligione pios:
Conjurata habitant una tria Numina in Urbe,
  Nimirùm Juno, Pallas, & alma Venus.
Dat formam, speciemque Venus; doctissima Palla
  Consilium; Juno prodiga præbet opes:
Hoc stupeas, pelagi fluctus non fluctuat inter:
  Immota ad motus Imperiosa manet.

COLOSSÆUM ROMANUM. 747

Ecce Colossæum, Moles antiqua Neronis;
  Romanæ stupeas quod magis Urbis Opus.
Barbaries illud posuit, non inclyta fastu
  Gloria, quæ longos cerneret ire dies:
Hìc Christi Athletas claudebant jussa Tiranni,
  Ut fierent rabidis pastus, & Esca feris:
Sæpe tamen sævæ Tigres, rigidique Leones
  In prædam dentes continuere suos:

Claudere & humanos mõstrarunt pectore sensus,
  Parcendo miseris, innocuisque Reis:
Esse feram Regem spectando Roma putavit;
  Et mites homines credidit esse feras.

### CANIS DE MARMORE. 748.

Non vivit Canis hic, quamvis vixisse putetur:
  Vivida de vivo marmore membra rigent:
Argutus forma spectantum lumina fallit;
  Naturæ remur, quod fuit Artis, Opus:
Quilibet Artificem tollit super æthera plausu,
  Miraturque manum, laudat & Ingenium:
Non mordet, non ille latrat, non vulnera figit;
  Sed ferit, & lacerat Cor tamen Invidiæ.

### EQVI MARMOREI ANTE PALATIVM PONTIFICIVM. 749.

Alter, & alter Equus de marmore constat uterq;
  Fulget in ambobus par stylus, æqua manus:
Praxiteles illum, Phidias hunc sculpsit, & Orbi
  Æternum nomen fecit uterque Faber:
Stat, non currit Equus, dextra remorante; sed ultra
  Solis iter t[illegible]i Fama laboris abit.

### AD COMITEM DE LEMOS SARDINIÆ PROREGEM. 750.

Gaudemus tecum Musæ, dignissime Princeps,
  Dum gaudes Regis sustinuisse vices.
Sardiniæ populos, plausu resonante, gubernas;
  O & Parthenopem, Rege jubente, regas.
Æqua tuis meritis sunt omnia; mente Lycurgos
  Vincis, & æquiparas integritate Numas:
Protrahat optatam Clotho per secula Vitam;
  Aurea nec rumpat pensa proterva manus;
Fortasse eveniet quidquid sperando precamur,
  Et tunc mille iocos cominùs aure bibes:
Interea hos versus vultu dignare benigno:
  Nec nostra ex alto pectore Imago cadat.

DE.

751. (SVS,
GRAMMATICÆ ftudui,didici cũ TEMPORE CA
Qui torfere animos nocte,dieq; meos: (nis
PLVRALEM NVMERVM tenui,cũ dextera ege-
Exiguos obulos contribuendo dedit:
Contempfi muliebre GENVS, fprevique virile;
Moribus integris inter utrumque fui:
Poft longos annos PASSIVA inflectere novi,
Semper enim patior; quid fupereft? tumulus.

TEMPLVM FORTVNÆ IN VRBE ANTIJ. 752.

Hic ubi ftant veteris veftigia diruta Templi,
Æquatumque tegunt marmora lapfa folum:
Fortunæ Numen coluit Gens prifca Quiritum,
Et mixtis precibus thurea dona dedit:
Obtulit hic quondam cum Confule votaColonus,
Vt res eve[illegible] nobiliore forent:
Quis poterit pofthac vanæ confidere Sorti,
Si fentit Cafus Sors quoque & ipfa fuos?

AD OLLVM. 753.

Effe cupis felix? culpis, vitiifque vacato:
Nec cor rodet edax cura, nec, Olle, dolor.

TEMPLVM JOVIS IMBERBIS IN VRBE ANXVRIS. 754.

Anxure furgebat faftu venerabile Templum,
Vt daret imberbi Gens fua Vota Jovi; (ftrant
Tempore collapfum eft, vix buftũ Fragmina mõ-
Plurima & incultum contegit herba folum:
Omnia confumit furtivis dentibus Ætas,
Nec fcit Numinibus parcere, neve Diis.

PICTOR DANAES. 755.

Juppiter in Danäem fluxit mutatus in aurum;
Fabula quod fcripfit, dextera pinxit opus:

Pro pretio accepit quamplura Numismata Pictor;
  Pictorem ditat Juppiter, & Danaëm.

PATER AD FILIAM. 756.
Filia, quid renuis thalamum, lectumq; jugalem?
  Aut quid connubii jungere Jura negas?
Hæredem optamus, cui spes Domus hæreat una,
  Et servet nostrum sæcula longa genus.
Quis tot divitias nostrum post funus habebit?
  Quis benè tot cultos dives habebit agros?
Vel Sponsa Incipias, vel desine Filia dici:
  Si Thalamum fugies, invenies tumulum.

AD EVNVM. 757.
Quicunque est Fautor sceleris, mihi creditur Au-(thor:
  Aut facit, aut crimen, qui favet, Eune, jubet.

CATVLLVS. 758.
Laurigeras cunas felix Verona Catullo
  Præbuit; ingenio nobilis ille fuit.
Lascivus calamo, necnon & carmine mordax
  Composuit plausu plurima digna tuo;
Post longas laudes Romæ sacra ossa reliquit;
  Vrbs fletu ad funus Tybridis auxit aquas.

VIPERA. 759.
Sis procul hinc, aliter mordebere: Vipera dicor,
  Vel quia vi pereo: vel quia vi pario.

MENDACES. 760.
Condidit infami qui falsa numismata signo,
  Abscissas habuit, lege jubente, manus;
Sed nunc qui falsis condit mendacia verbis,
  Abscissam linguam perdere nonne meret?

CAPVT, ET SANGVIS DIVI JANVARIJ. 761.
Et Caput, & Sanguis Fidei mirabile utrumque
  Prodigium, dignum Relligione coli.

Nunc

Nunc Caput adverso turbatur Sanguine, mirum!
Et quæ sunt populo tristia, fata monet:
Nunc Cruor adverso liquescit Vertice, mirum!
Et quæ sunt populo prospera, fata notat:
Cætera si spectes miracula sparsa per Orbem,
Hoc unum majus, quod colat, Orbis habet.

AD TVLLIVM. 762.

Infelix, Tulli, sævo baccharis amore;
Gaudia te faciunt lenta, moræque mori:

VICTORIA CONTRA TAVTONES. 763

Hæc sit fausta dies, dum stabunt Sidera, & Orbis;
Et redeat vultù nobiliore, rogo:
Fama refert cæsas acies, rapta arma, subactos
Tautones, Hispani dum tonat Ira Jovis:
Belligero Victrix sit semper Iberia Campo,
Marte nec adverso belligerando cadat:
Accedat nostro major Victoria Regi,
Hoste triumphato, regnet in Orbe diù.
Audiat, & plaudat de longè hæc metra PHILIP
Obsequii in Dominū symbola fida mei. (PVS

AD OLLVM. 76

Consulis Hippocratis præcepta salubria, & Arte
Pharmaca præscripto tempore &, Olle, bibis:
Sollicitus Vitæ longos producere cursus,
Anxius & canos enumerare dies:
Sed frustrà, quoniam Lachesis si stamina rumpat
Antidoto ex ipso sæva venena fluunt.

PHILIPPI IV. IMAGO. 765

Hic est Borbonia natus de stirpe PHIPIPPVS;
Nunc Regni Hispani nobile vellus habet:
Fulminat aspectu quos conspicit esse rebelles;
Allicit aspectu quos videt esse bonos.

LVDOVICVS.

ANAGRAMMA

VLCVS VI DO.

## AD LVDOVICVM REGEM GALLORVM. 766.

Vlcerane, an potiùs promittit Vulnera Nomen?
VLCVS enim VI DO, Vox, LVDOVICE, sonat:
Vlcera mille dabis, paries & vulnera mille
Hostibus invicta, belligeraque manu:
Tautones ad fortes præclari pectoris ausus
Spectabis cæsos cedere, stando mori.

## AD PHILIPPVM IV. HISPANIARVM REGEM. 767.

Vive, PHILIPPE, diù; nec rumpant stamina Par-
Ominibus faustis vive, PHILIPPE, diù: (cæ;
Vive, PHILIPPE, diù, tibi dicit Iberia plausu;
Parthenope id repetit; vive, PHILIPPE, diù.
Vive, PHILIPPE, diù; timeas nec prælia Martis,
Nec sævas acies; Vive, PHILIPPE, diù.
Vive, PHILIPPE, diù, referasque ex hoste trium-
Inque comis lauros, vive, PHILIPPE, diù. (phos,
Vive, PHILIPPE, diù; tibi plurima surgat in auro,
Atque ære effigies, vive, PHILIPPE, diù. (nas,
Vive, PHILIPPE, diù, nec parva hæc carmina sper-
Fronte legas hilari, vive, PHILIPPE, diù.
Vive, PHILIPPE, diù; mihi sis tu Magnus Apollo;
Sic majora canam, vive, PHILIPPE, diù.

## ARCHIMEDES. 768.

Marte Syracusios populos Marcellus, & Vrbem
Belligeris armis vincere certus erat;
Spargebant Cives lachrymarum flumen ab ore;
Excidium Patriæ quique gemendo timet:

Hinc

Hinc Archimedes speculis combussit in Vndis
  Quotquot erant Naves,agmina quotquot erant.
Ingenio Natale solum defendit ab armis;
  Mens habuit robur, quo caruere manus:
O celebranda Viri memori sapientia plausu!
  Sæva triumphali contudit Arma Vitro.

### DE SE. 769.

Vix Caput Eois Titan ostenderat oris,
  Et medio primum vix dabat ore jubar,
Cùm tres Neptuni vidi per regna Triremes,
  Quas impellebant carbasa tensa Notis;
Aspectu extimui, Thraces namque esse putavi,
  Et gemui, hostiles dum reor esse manus;
Corripuit tandem distantia parva Timorem,
  Exul & è tristi pectore Mæror abit:
Hispanæ patuere Rates per cærula Ponti;
  Pendula ab arboribus Signa Leonis erant.
Scilicet immutat species distantia rerum;
  Quidquid abest, terret; non tamen illud obest.

### DE QVINCTILLA. 770.

Sanguinis in fluxum Quinctilla ut abivit;obivit;
  Nec juvit Medicus, nec Medicina lui.
Nempè fuit sceleri species aptissima Mortis;
  Sanguinis humani fovit iniqua sitim.

### DE SE. 771.

Bis nonus,quatuor junctis mihi mensibus,Annus
  Fluxerat, & Liber vina negabat adhùc:
Gratus erat tantùm gelidis Achelous in undis,
  Solus & in cyathis vitrea dona dabat:
Interea mihi pallor erat diffusus in ore;
  Presserat & macies tristis utrinque genas:
Vt Bacchi biberem dulcissima munera jussit
  Hippocrates, aliter Mors mihi certa foret:
Vt tetigi, ut placuit sic nobilis haustus Jacchi,
  Vt cuperem semper, nocte dieque merum:

Ex

Ex tunc exarsit facundo Carmine Apollo,
Ex tunc excaluit nostra Thalia jocis:
Effugiat fontes quisquis cupit esse Poëta;
Vena pigra est undis, sed fluit illa mero.

AD FABIANVM PICTOREM. 772.
Exprimis in parvis miracula maxima telis;
Æternat quidquid dextra colore facit:
Fulgurat argutis felix tua gloria ab Vmbris;
Cederet & Zeusis, si tamen ille foret:
Orpheus humanas aures testudinis arte
Attraxit, gratus vel, Fabiane, feris:
Tu tamen humanos oculos trahis arte colorum;
Decipit Vrsa Vrsam picta, Canemque Canis:
Ingenii stupefacta acies immobilis hæret;
Et Cor spectando, non satiatur, Opus.

BACCHUS IN UVIS. 773.
Tormentis variis cruciatur Bacchus in uvis,
Nec juvat ætherii filius esse Jovis:
Nunc pede calcatur, premitur nunc pondere preli;
Nunc ceu carceribus clauditur in doliis:
Nunc lento positus sensim siccatur in Igne;
Nunc gemit ex alta pendulus ille trabe,
Tot tormenta meret, quoniam fœdissima nutrit
Crimina; par vitiis pœna putanda suis:
Corrumpit nostros Mores, animosque pudicos,
Et Menti lumen, quod fuit antè, rapit:
Incestus, & stupra patrat, thalamosque decoros
Polluit, & castas privat honore nurus;
Excitat infames in Patre libidinis Ignes,
Quis putet? & Natas comprimit ille suas.

AD ARBOREM. 774.

O ramis, semperque comis frondentibus Arbor,
Sive Æstas caleat, sive rigescat Hyems;
Tu reliquas inter Domino gratissima plantas,
Seu facias umbras, seu bona poma feras;
O quo-

O quoties sub te caluerunt prandia in æstu,
Phœbus in Occasu cùm periturus erat.
O quoties sub te choreas texere puellæ,
Et pedibus Pueri composuere Jocos.
Te propè Rivus aquæ manat pede vitreus, illo
Nec Fons frigidior, candidiorque fluit:
O tibi conservet frondes Autumnus, & Æstas;
O Ver det fructus, & tibi tristis Hyems.
Nec te de Cælo labentia fulmina lædant,
Neve premat ramos grandinis Ira tuos:
Tu mihi Laurus eris cantanti carmina Vati;
Tu Tectum Musis, Hospitiumque meis.

## S. DOMINICI GUSMANI FESTUM. 775.

Tolle triumphales felix, Hispania, plausus;
Inque tuis sedeant gaudia mille genis;
Festivæque tubæ resonent, atque Ignibus æra,
Et sacris caleant thura perusta focis:
Gusmanus tibi Civis habet sua festa, quotannis
Inclyta; quæ Pietas nutrit, & alma Fides:
Non igitur timeas resonantia prælia Martis,
Hoc Duce, & armigeræ sæva flagella Deæ:
Inspice Gusmani gentilia Stemmata, ab illis
Auxilium spera, præsidiumque roga.
Ore minax CANIS est, qui Te tueatur ab Hoste;
Vtque Hostem exurat, gestat in ore FACEM.

## MARTIS SIMULACHRUM. 776.

Hæc est de rigido ferro Mavortis Imago:
A ferro didicit fortis, & esse ferus.

## VENUS MARMOREA. 777.

Hæc est pulchra Venus; duro de marmore quamvis
Emollit Mores, Eminùs Esto, tuos.

## ALCIDES EX ÆRE. 778.

Æs dedit Alcidæ vivam, pulchramque figuram;
Effangendo feras fortior ære fuit:

CVPIDO LAPIDEVS. 779.

Hic est pulcher Amor telis armatus, & Arcu ;
Corda trahit vultu, sit licèt ille Lapis.

VIRGILIUS SVPRA HORTI VESTIBVLVM. 780.

Si flores quæris, sterilis nec præbeat Hortus,
Hos tibi Virgilii florida Musa dabit.

OVIDIVS PROPE FONTEM. 781.

Hic Vates ille est, Artem qui scripsit amandi :
Ingemit Errores Carminis udus aquis.

JOVIS EFFIGIES. 782.

Hæc Jovis Effigies; gestat sua dextera fulmen :
Exterret visu, non tamen ille ferit.

VVLCANVS CVM SVIS FABRIS. 783.

Hi sunt Vulcanus, Steropes, Brontesq; Pyracmon;
Ars monstrat, dicunt Corpora, Forma monet.
Fulmina moliti lassantur Mole laboris,
Puniat ut Mundi crimina dextra Jovis.

EQVVS TROJANVS. 784.

Hunc effecit Equum divinæ Palladis Arte
Græcorum semper perfida visa Fides ;
Neve capi bello poterat, neve Ilion armis,
Lapsa licèt tacitè jam duo lustra forent :
Ventre Duces clausit, sic noctù prodidit Vrbem:
Quod non mille Equites, perdidit unus Equus.

AD PONTICVM. 785.

Prandia dat Pallas, Pallas tibi, Pontice, cænas :
Vtilius docta Pallade in Orbe nihil.

AD NESTOREM. 786.

Mors Echo est Vitæ, Vitæque simillima Imago ;
Mors mala, Nestor, erit; si mala Vita fuit.

AD

AD ANDREAM GVERRERIVM. 787.

Vnus es Ærarj Custos Regalis, & Auctor,
Andrea, Themidos Gloria, Honorque Fori:
Nomine belligero nisi prælia sæva minaris;
Sed mites Mores, Cor & Amoris habes.

VIRGO DEIPARA DE MONTE CARMELO. 788.

Hic Mundus pelagus, fragilis tua Vita phaselus;
Fluctuat humanis acta, reacta Malis.
Vndique sunt sævæ Syrtes, & mille Carybdes;
Vndique & Interitum, naufragiumque parant
Pectore habet Sidus Carmelo è Monte Virago,
Quod vibrat radio fulgidiore jubar:
Hoc Sidus Cynosura Rati, Dux, Rector, Asylum
Si fiat, Stygio è turbine tutus eris:
Nec fera tempestas, nec flamina sæva nocebunt;
Empyreum Portus, Merx erit ampla Deus:
Quisquis es, hanc subeas intactæ Virginis ædem,
Et Magnæ Matri Vota, precesque dato:
Emenso Mundi pelago, potieris Olympo;
Neve Acherontæis mersus obibis aquis.

AD PETRVM OTTHOBONVM
S. R. E. CARDINALEM
PRO SE, ET ALEXANDRO VIII. SVO PATRVO
789.

Quæ nova sidereo video spectacula Cœlo?
Quæ portenta refert Regia celsa poli?
Cælestis Domus alta patet: stat cardine Porta
Stellifero: rutilant lumine utrinque Fores:
Juppiter excelso in folio: stat proxima Juno,
Et Venus, & Pallas, Bacchus, & alma Ceres:
Fulgurat armatus pharetra, telisque Cupido,
Et ridet triplex Gratia læta genis:
Quis tamen ille, Chelym dulci qui pollice pulsat,
Et facit argutum, Voce beante, melos?
Est Phœbus, celebrat Patruũ, decus Vrbis, & Orbis;
Et laudat Generis facta stupenda tui:

Lapsa manu Chelys est, sed curt te dicere cæpit,
Nec satis est; languet, deficit, obmutuit.

AD LVDOVICVM GALLORVM REGEM. 790.

Mille Tibi peperit gladius, Ludovice triumphos;
Et Terra, & Pelagus jam tua Gesta stupet:
Te cupit ætherii cælestis Regia Olympi,
Vt tua Majestas detque, feratque jubar:
Fata morantur iter; totus ne lugeat Orbis,
Et jaceant lachrymis Regna sepulta suis.

ÆSOPI EPITAPHIVM. 791.

Hic jacet Æsopus; Phrygiæ decus, inclyta & Orbis
Gloria: bis Monstrum Corpore, & Ingenio.

DE SE. 792.

Jam properat Clotho nostro contraria Voto;
Vivere dum Spero, non nisi pulvis Ero:
Transiit ut Vetus quondã mihi pulchra Juvẽtus,
Vita levis Fumus; Terra, cinisq; Sumus:
Quæ tamen è Fusis mihi fulgurat inclyta Musis,
Neve potest Rodi Fama, nec illa MORI.

AVTHORIS EPITAPHIVM.

AD OLLVM. 793.

Bis quatuor mihi lustra fluunt, instatq; sepulchrũ,
Jam Nive candentes inficiente comas:
Post lucem extremã, miseri post funeris Horam
In tumulo hoc Carmen sit, precor, Olle, meo.
Hic situs est CÆSAR nota de stirpe FANELLI;
Da lauros Musis; Archipöeta fuit.

FINIS.



